IOANNIS BOCCATII DE CERTALDO INSIGNE OPVS de Claris Mulieribus.

TYPOGRAPHVS LECTORI S. D.

☞ En Candide Lector offerimus tibi opus illustre Io: Bocca: de claris mulieribus, in quo recensentur, illæ quæ & honestate & turpitudine excelluere, ubi simul intelliges, qui ex honestis prauisq́ꝫ studijs euentus consequantur, quicquid etiam Poëticis fabulis de mulieribus inuolutum est, hic ad liquidum traditur, ut facile colligas, vnde fabula duxerit originem, & quid deinde artificij Rhetorici à Poëta accesserit, quæ omnia bona fide tradita, succincta lepidaq́ꝫ, & ob Historiæ rerumq́ꝫ gestarum uarietatem commoda & utilia sunt lectu, vt opere perlustrato, te decuplo plus precij impendere malle iures, quàm tanto thesauro carere, Eme & fruere meq́ꝫ uera dixisse experieris, Vale.



BERNAE HELVET.
Excudebat Mathias Apiarius.
✶

HIERONYMI FRICK
Carmen ad Lectorem.

Heroum si facta uirum præclara, merentur
 Laudibus æternis concelebranda dari.
Plenaq́ꝫ sunt illis ueterum monumenta Sophorum,
 Quid ueterum? passim si bene gesta, placent
Vt quibus exemplis, ceu calcare quisq́ꝫ mouetur,
 Ingenuis factis conciliare decus.
Exemplis alijs sicuti sapientia uera putatur,
 Discere quæ ex usu, quæq́ꝫ nociua tibi.
Adde quod hoc speculo tua quæ bene facta sequantur,
 Præmia multiplici laude, uidere potes.
Cur non perpetuæ mittentur nomina famæ,
 Illaque scriptorum docta litura notet.
Gesta matronarum cunctis miranda per orbem,
 Quædam adamanda tibi, quædã & habenda odio,
Qualia dat noster Boccatius optime lector,
 Plurima queis emptis ipse potire, Vale.



EXIMIO ATQVE NOBILI VIRO D. ADRIANO À BVBENberg Rhomani Monasterij, apud Allobroges nouæ Bern: prouinciæ præsidi clarissimo Ioan: Telorus Abusiacus Ludi literarij apud magnificam Heluetiorum Bernam moderator, gratiam precatur & pacem.

IN nobile illud Boccatij opusculum, de claris mulieribus, forte fortuna incidi, ac tum ferè, quum iam sub prelo cudi cœperat (uir humanissime, atque clarissime) Hoc, quia operæ pretio dignum uidebam, quantum in me fuit, studium & laborem impendens, ab omni situ, mendis, & squalore, quibus fuit hactenus pressum, pluribusque annis non excusum, uindicare pro mea uirili, et in ordinem colligere cœpi sedulò. Adieci insuper carmen αὐτοσχεδιαστικόν, quo rerum capita, ceu per transennam ac Heroïdum facinora, in utranque partem, famosissima, utcunque subindico, Idque tamen, ea fide ac diligentia, qua eo temporis curriculo, potui candidissima. Volens, & hoc meo labore, quem summa in occupatione, sumere nō piguit, iuuentuti studiosæ gratificari, modisque omnibus prodesse, Hocque tanto impensius, quanto autor ipse studiosis est accommodatior iucundiorque. Compertum enim habeo, quòd is non tam respiciat, quid in re quaque, in omni negotio sit spectandum, quàm quod etiam, pro diuersitate personarum, pro rerum uarietate, ita mire omnia attemperet, vt nulla voluptas sit omnino, quæ non propositam habeat uirtutem. Quæ res sanè, omne totius mundi arcanum continet. Hinc enim, quod bonum & honestum est, sua luce claret, suosque admiratores habet, Illhinc, quod malum, turpeque est, cum suis sectatoribus est cernere. Virtus igitur non sit necesse est, nisi compar aliquis appareat, in quo superando uim suam exerceat, atque exerat. Nam ut nulla victoria est sine certamine, sic nulla uirtus, absque aliquo hoste dici potest. Atque ita fit, ut nemo uirtuti faueat, nisi qui sequi possit, sequi autem non facile est omnib. Proinde, quicquid ex contrarijs fingi fieríque potest, quicquid in hoc uiuo cœli terræque, & recte mundi uocati opere est spectabile, quicquid in mentem uenire, sub conspectum dari, ac in orationem cadere poterit, habes hic expressissimū. Est enim prorsus nihil in hoc opere scriptum, factitatumque, quod non ex certis principijs, ex causis inquam, quæ in rebus ipsis consistant, petitum sit. Exempla (non dico Heroum, sed Heroïdū, quæ etsi genere & sexu posteriores parteis teneant, animo tamen & ingenio, cæterisque naturæ dotibus tantum non cedentes) uideas hic, in omnes euentus, non tam dissimilia, quam miranda, & his longe diuersiora auspicia, pro-

greſſus, & fines. Hic enim uelut in Theatro uidebis aliã prodire, quæ generi humano, ut in immenſum propagaretur, cauſam aliquam dederit, aliã cognoſces, quæ quomodo hoc idẽ pulchre coaleſcat, ꝑducaturq́ꝫ, intermedia, pane potuq́ꝫ adinuentis, excogitauit. Adde, quod nonnullæ, literas et leges quibus in commune rebus humanis rectè proſpiciatur, & cõmodè ſciatur, quid expetendum fugiendumq́ꝫ ſit reppererunt. Sunt, quæ omnib. in genere ſtuduerunt uirtutibus, hæc ut piè, quantum ad Deum unicè colendum, illa, ut iuſte, quantum ad proximi charitatem ſpectat, alia, ut temperãter, ne quiſquam priuatim ſuam læderet naturam exempla poſteris reliquit. Item ècontra inuenias plures, quas in hoc prorſus coniuraſſe conſpiraſſeq́ꝫ dicas, ut omnem honeſtatem, omnem humanitatis ſpeciem, ex cõmuni uita tollant, ſuis affectib. indulgentes, turpitudinem, quæ & radix & comes uitiorum omnis eſt, ſectentur mordicus, &c. Hoc itaq́ꝫ illud eſt, quod iam paulò ante monui, ut adhibita ratione perpendamus exactè, quanta ſit uis, quanta ratio, quantum deniq́ꝫ ſit ſacramentum ipſe homo, per quem magnalia dei, et hominũ geſta tanto ſpiritu deprædicentur, & ſuſpiciantur. Dabit ergo hæc præſens hiſtoria, quo modo, quaq́ꝫ ratione aliorum facinora ſint cognoſcenda, ut nũquam certo deſtituaris experimento, item quomodo ex retroactis (quod propriè ſapientis uiri officium eſt) futura ſcienter, in omneis parteis perſpicere, imò quod admirabilius eſt, futura pręſentibus, diuina terrenis, atq́ꝫ ſempiterna breuibus anteponere oporteat. In hoc enim omnia, omnium ueterum ſcripta, ac rerũ geſtarum monumenta, & quicquid tandẽ rerũ eſt uſpiam, ſub quocunq́ꝫ uelamenti ſeu figmenti genere conſcriptarũ, faciunt, ut humanam ſocordiam excitent, aduerſus pericula exemplis muniant omnigenis, uiamq́ꝫ & materiam diſcendi, quo medio, ad ulteriora progrediendum ſit, præſcribant. In ſumma, ut certo ſciat quiſq́ꝫ quàm par ſit ratio, & neceſſaria legendi hiſtorica, & uitã ſuam cuiq́ꝫ inſtituendi ſatis conuenienter. Hoc ita poſito, facile liquebit, quantum utilitatis capere, quantumq́ꝫ fructus facere poſſit is, qui cum iudicio & ratione, in quouis ſcripti genere, nedum in hoc, quod mire uariũ, eſt, & copioſum, uerſetur. Huc facit quod ipſe autor & poëta inſignis, & poëtarum interpres, extiterit, ſicut liquidò uidere eſt hic, & alijs operibus quæ fecit, eximiè claris. Faxit deus Opt. Max. ut quiſq́ꝫ, quod plurimum fuerit ſalutare, capiat inde, idq́ꝫ ad uitæ uſum transferat omne, quàm rectiſſimè. Illud autem tum fiet, quando exempla non gloriæ, ſed uirtuti propoſita eſſe, perſpectum ſit. Hoc qui neſcit, ſimilis fit Tragœdis, qui perſonarũ, quas ampliſſimas præferebant, etiam poſito habitu, mores imitentur. Cauendum eſt itaq́ꝫ, ne ſuauitate lectionis illecti, uoluptates ſequamur, fructus uero amittamus, Nam eſt ingens flagitium, & piaculum nulla uenia dignum, fulgentis tantum gloriæ (quod ut

plurimum

plurimum, multis plausibile uidetur) specie sollicitari, at animum non aduertere, quantum retulerit probè cognitum habere, ad se etiam aliena pertinere pericula. Hoc ipsum qui non cogitat, intemperantibus planè comparandus est, quibus ut alimentum nihil proficit, sic ad eos eo pactò nulla lectionis utilitas redeat oportet. Ex his nunc patet, quo fine, quóue proposito, maiorū gentium gesta sint legenda, nempe ut omnis uita excolatur, animus rerum cognitione informetur, quàm fieri potest honestissime, adeo, ut in sermone, et actione omni, moderatio, uirtutum columen spectetur, in moribus, suauitas, quæ humanæ conuersationis gluten est, elucescat, & in ferendis studiorum laboribus, animi tolerantia mentis solatium omne, proponatur, suscipiatur. Id est, cur homines scientia, quod ex numero perfectionis, & bonorū genere sit, capiantur, uel uoluptatum dulcedine, quas sensuum obiecta produnt, oblectentur. Porrò quòd reliquum est, vir clarissime, tuam attinet humanitatem, cui quantum debeam uideo, sed vnde rependam, non habeo. Sed quid hæc? Quis non amet te? quando non inde modo agnosceris felix, sed multo magis omni amore dignissimus, præcipue, quum tanta tamq; incredibilis tuorum morum integritas sit, quæ omnem facile laudem superet. Deinde quis nō heroïcum istum totius corporis habitum suspiciat? cui planè adesse aduertitur, maiestas quædam tacita, Quid memorem fortunæ successus? quibus undiq; fulges, quid facilem uitę honestissimæ splendorem? quo nihil plausibili9, nihil magis come. Quid animi circumspicientiam? qua quicquid animo concipis, quicquid re obeundum proponis, ab optato haud quaq; excidas fine unquam, quin quàm felicissimè, id quod uelis, perficias. Taceo interim alias uirtutes, item & tua tuorumq; insignia, imaginesq;, quibus olim nobilissimè claruerunt, & hodie non minus tua humanitas claret, qua quid maius vnq̄ perspexerim (loquor id quod res est) non uideo. Sed præfari desinamus, ac te suppliciter apprecemur, qui æqui boniq; consulere, atq;, quicquid id est laboris, q in hoc opere Boccatij restituendo repurgandóque sumpsimus, excipere digneris eo animo, quo nos tuæ amplitudini spectatissimæ, illud ipsum dedicamus & nuncupamus, hoc est, beneuolo ac grato. Atq; id quidem tanto exporrectiori fronte, quanto tu maiori animi promptitudine, & honesta studia, & bonas arteis, quibus & ipse non vulgariter edoctus, admiraris et promoues, Dominus det, qui id, quod in te satis splendidè cæpit, feliciter perficiat. Vale bene, ac amantem tui, redama.

Datum Bernæ ex Ludo nostro literario, 22. Iulij, Anno XXXIX.

EBERARTVS À RVMLANG
Candido Lectori.

BReui quidem sed proprio euidentiq́ testimonnio Candide Lector, à Cicerone celebrata et cōmendata est Historia, qui eam refert esse testē temporū, lucem ueritatis, uitam memoriæ, magistram uitæ, & nunciam uetustatis, vt non necessarium esse duxerim diutius te in cōmodis eius percensendis morari, ne quis idem mihi obijciat, qđ Rhetorum quidam Herculis laudes enarrare uolens, ab Antalcida Lacedæmoniorum duce, audire coactus est. Quis illum vituperat? Ad hoc quod hæc Ciceronis pauca verba in recessu plus recondant, quam foris ostentent. Nam si penitius introspiciantur, quicquid de Historia eloqui poterit, complecti videntur, vt non opus sit per amplificationem id latius extendi, Tui igitur cōmodi, & nominis gratia hoc excellens opus Boccatij de claris Mulieribus, ex innumeris repurgatū mendis, tibi propinamus, ut hoc quoq́ frui possis, quod preclaras mulieres turpibus permixtas recenset, quo alterum ex altero illustrius reddatur euidentiusq́ appareat. Hoc libro deprehendes, quomodo ex turpibus studijs deterrimi euentus cōsequantur, simulq́ gustum prebebit rudis ac prisci sæculi, in quo Regibus ac Reginis plerisq́ delirare, & quoduis facinus perpetrare, quasi magnificum ui debatur. Exprimit enim proteruitatem humani generis, & quanta exagitetur ambitione, sæuitia immaniq́ impudentia, atq́ quàm vanus & vecors sit homo, si non verecundia legum temperetur, neq́ bonis institutis, moribus, legibus adeoq́ meliore mente, & propitio Deo excolatur. Quod si mulierum temeritas nullū facinus reuerita est, quid de viris natura ferocioribus, & intractabilioribus conijciendū est? Quid non tentabimus, & quò vesaniæ nō proruimus à grassante nostra malignitate deturbati, si effrenes nobis ipsis relinquamur? Obseruemus itaq́ è q̄ efferatis moribus ingenti labore ac sudore, bonorum virorū per exercitia cultumq́ honestorū studiorum, in mansuetiorem humanitatē, si gubernacula non detrectabimus, illaq́ suo fungentur munere, adoleuerit orbis. Hic quoq́ multi arcani, & reconditi sensus fabularum quarundam poëticarum reserantur, quæ ex euentu gestæ rei occasionem sumpsere, quibus poëtæ artificium Rhetoricum adhibuere, ut ingentem exercendi ingenij materiam, hoc breui libro suppeditemus. Asperitatem & difficultatem stili imputato temporibus, & seculo non studijs Boccatij, sed tamen venerandā quandam grauitatem præ se fert, quod stilus non exquisitus, nec fucatus, sed solidus sit, plus roboris rerumq́, quàm inanis lenocinij contineat.

Vale & fruere meq́ tui nominis studiosum commendatum habeto.

Datum Bernæ Nuithonum, Anno 1539.

IOAN-

IOANNES BOCCATIVS DE Certaldo Mulieri clarissimæ Andreæ de Acciarolis de Florentia Alteuillæ Comitissæ.

PRidie, mulierum egregia paululum ab inerti vulgò semotus, & à cæteris ferè solutus curis, in eximiam muliebris sexus laudem, et amicorum solatium, potius quam in magnum reipublicæ commodum, libellum scripsi. Verum dum mecum animo versarem, cuinam primum illum transmitterem, ne penes me marcesceret otio, & ut alieno fultus fauore, securior iret in publicum, aduerteremq; satis, non principi viro, sed potius cum de mulieribus loqueretur, alicui insigni fœminæ destinandum fore. Exquirenti digniorem ante alias, uenit in mentem, Italicum iubar illud prefulgidum, ac singularis nō tantum fœminarū, sed regum gloria, Iohanna serenissima Hierusalem & Siciliæ regina. Cuius pensatis tam inclytæ prosapiæ, & auorum fulgoribus, quam nouis à se forti pectore quæsitis laudibus, in desiderium mittendi illum humilem deuotumq;, ante solium suæ celsitudinis incidi. Tandem quia adeo ingens regius fulgor est, & opusculi tenuis & ferè semisopita fauillula, timēs ne à potiori lumine, minor omnino fugaretur in tenebras, sensim retraxi consilium, & noua indagine multis alijs perquisitis ad extremum, ab illustri Regina in te votum deflexi meum, nec immerito, nam dum mites ac celebres mores tuos, dum honestatem eximiam, sum̄um matronarum decus, dumque verborum elegantiam mente reuoluerem, & cum his animi tui generositatem, & ingenij vires, quibus longe fœmineas excedis dotes, aduerterem, videremq; quod sexui infirmiori natura detraxit, id tuo pectori, Deus sua liberalitate, miris virtutibus superinfuderit atque suppleuerit, & eo quo insignita es nomine designari voluerit, cum ἄνδρες Græci quod Latine dicimus homines nuncupent, te æquiparandam probissimis quibuscunque etiam vetustissimis arbitratus sum. Et ideo cum tempestate nostra multis atque splendidis facinoribus agentibus, clarissimum vetustatis specimen sis tanquam benemerito tuo fulgori, huius libellli tituli munus adiecisse velim, existimans non minus apud posteros tuo nomini addidisse decoris paucis his literulis, quam fecerit olim montis Odorisij & nunc Alteuillæ comitatus, quibus te fortuna fecit illustrem. At te igitur mitto & tuo nomini dedico quod hactenus à me de mulieribus claris scriptum est. Precorq; inclyta mulier, per sanctum pudicitiæ nomen, quo inter mortales plurimum emines, grato animo munusculum scholastici hominis suscipias, & si mihi aliquid creditura es, aliquando legas suadeo, suis quippe suffragijs tuis blandietur otijs, dum fœminea virtute & historiarum lepiditate lætaberis. Nec incassum arbitror agitabitur lectio, si facinorum

præteritarum mulierum æmula, egregium animum concitabis in melius. Et esto nonnunquam lasciuiam comperias immixtam sacris (quod ut facerem recidendorum coëgit opportunitas) ne omiseris uel horescas, quinimò perseuerans, uti uiridarium intrans eburneas manus semotis spinarum aculeis extendis in florem, sic obscenis sepositis collige laudanda, & quotiens in gentili muliere, quid dignum Christianam religionem professa legeris, qđ in te fore non senseris, ruborem mentis excita, & te ipsam redargue, quod Christi delinita chrismate, honestate aut pudicitia uel uirtute superaris ab extera, & prouocato in uires ingenio (quo plurimum vales) non solum ne supereris patiare, sed ut superes quascunq; egregia uirtute coneris, ut uti corporis læta iuuentute, ac florida venustate conspicua es, sic præ cęteris non tantum coæuis tuis, sed priscis etiam cū animi integritate præstantior fias. Memor non pigmentis (ut plærę́q; facitis mulieres) decoranda formositas est, sed exornanda honestate sanctitate, et pijs operibus, ut dum eidem qui tribuit gratiā feceris, non solum hac in peritura mortalitate inter fulgidas una sis, sed ab eodem gratiarū largitore, hominem exuens in claritatem suscipiaris perpetuam. Præterea si dignum duxeris mulierum præstantissima, eidem procedendi in medium audaciam præbeas, ibit quidem (ut reor) tuo emissus auspicio, ab insultibus malignantium tutus, nomenq; tuum cum cæteris illustrium mulierum per ora virūm splendidum deferet, teq; tuis cū meritis (cum minime possis ubique offerri præsens) præsentibus cognitā faciet, & posteritati seruabit æternam.


IOANNIS BOCCATII DE Certaldo de mulieribus claris, ad Andream de Acciarolis de Florentia Alteuil. comit.

SCripsere iam dudum nonnulli ueterum sub cōpendio, de uiris illustribus libros, & æuo nostro, latiori tamē uolumine & acutiori stilo, uir insignis & poëta egregius Franciscus Petrarcha præceptor noster scribit & dignè. Nam qui & cæteros anteirent claris facinoribus, studium omne, substantias sanguine & animam, exigente opportunitate, posuere, profecto ut eorum nomē in posteros ꝑpetua deducatur memoria meruère. Sanè miratus sum plurimū, adeo modicum apud huiusce uiros potuisse mulieres, ut nullā memoriæ gratiam in speciali aliqua descriptione cōsecutæ sint, cū liquido ex amplioribus historijs constet, tam strenue quam fortiter egisse nonnullas. Et si extollendi sunt homines dū cōcesso sibi robore magna fecerint, quanto amplius mulieres (quibus ferè omnibus à natura rerum mollicies insita, & corpus debile ac tardum

ingenium datum est) si uirilem euaserint animum, ac ingenio celebri, ac uirtute conspicua audeant atque perficiant etiam difficillima uires extollendæ sunt. Et ideo ne merito fraudentur suo, uenit in animum, ex his quas memoria referet, in gloriæ suæ decus in unum deducere, eisdem addere ex multis quasdam, quas aut audacia, seu uires ingenij & industria, aut naturæ munus, uel fortunæ gratia seu iniuria, notabiles fecit. Hisque paucas adnectere, quæ & si non memoratu dignum aliquid fecere, causas tamen maximas facinoribus præbuere. Nec (volo) legenti uideatur incongruum, si Penelopę, Lucretiæ, Sulpitiæ, ut pudicissimis matronis iumixtas Medeam, Floram, Semproniamque comperint, quibus pregrande sed perniciosum forte fuit ingenium. Non enim est animus mihi hoc claritatis nomen, adeo strictim sumere, ut semper in uirtutem videatur exire, quinimò in ampliorem sensum (bona cum pace legentium) trahere, & illas intelligere claras, quas quocunque ex facinore, orbi vulgato sermone, notissimas nouero, cum & inter Leonidas, Scipiones Catonesque, atque fabricios uiros illustres, seditiosissimos Gracchos, versipellem Hanibalem, proditorem Iugurtham, cruentos à ciuili sanguine Syllam, Mariumque, & æque diuitem & auarum Crassum, aliosque tales sæpe legisse meminerim. Verum quando extulisse laudibus memoratu digna, & depressisse increpationibus infanda, nonnunquam non solum erit generosis in gloriam verũ etiam in ignominiam ignauis: Habenas ab infaustis paululum retraxisse, & quod quarundam turpitudinibus venustatis demptũ videtur, ratus sum, quandoque historijs inserere nonnulla lepida blandimenta virtutis, & in fugam atque detestationem scelerum aculeos addere, & sic fiet, ut immixta historiarum delectatione sacra mentes subintrabit vtilitas. Et ne more prisco apices tantum rerum tetigisse videar, ex quibus à fide dignis potuero cognouisse, amplius in longiusculam historiam protraxisse, non solum utile, sed opportunum arbitror existimans harum facinora, nõ minus mulieribus quã uiris etiam placitura. Quæ cum ut plurimum historiarum ignaræ sint, sermone prolixiori indigent & lætantur. Attamen uisum est ne omiserim, excepta matre prima, his omnibus ferè gentilibus nullas ex sacris mulieribus, Hebræis, Christianisque miscuisse, non enim satis bene conueniunt, nec æquo incedere videntur gradu. Hæ quippe ob æternam & ueram gloriam, sese ferè in aduersam persæpe humanitatis tolerantiam coegere, sacrosancta præceptorum, tam iussa, quam uestigia imitantes, ubi ille seu quodam naturæ munere uel instinctu, seu potius huius momentanei fulgoris cupiditate percite, non absque tamen acri mentis robore deuenere, uel fortunæ urgentis impulsu, nonnunquam grauissima pertulere. Præterea hæ, uera & indeficienti luce coruscæ in merita æternitate, non solum clarissime viuunt, sed eorum virginitatem, castimoniam, sanctitatem, uirtutem, & insuperandis tam concupiscentijs carnis, quam suppliciis tyrannorum, inuictam constantiam ipsarum meritis exigentibus, singulis voluminibus, à pijs hominibus, sacris literis, & veneranda maiestate conspicuis, descriptas esse cognoscimus, ubi illarum merita, nullo in hoc edito volumine speciali, ut iam ductũ est, & à nemine demonstrata describere, quasi aliquale reddituri pręmium inchoamus. Cui quidam pio operi, ipse rerum omnium pater Deus assit, & laboris sumpti fautor quod scripsero, in suam ueram laudem scripsisse concedat.

LIBER

Hæc ſunt errata, In C. pagina 4. Carmine 1. aureis. In D pag. 1. car. 1. Fatidica. & in 2. pag. car. 3. audetq́;. & in D ultima pag. car. 2. prima. In E pag. ult. car. 1. Rhomulidûm. In H pag. ult. car: 1. Sophoniſba, In I pagi. 3. car: 2. Cui pudor, In I pag. 4. car: 2. proauos. In K pag. 1. car: 1. Inhumanum. In K pag. 4. car: 2. prohibet.



LIBER IOANNIS BOCCACII DE CERTALDO DE MVlieribus claris, Ad Andream de Acciarolis de Florentia Alteuilla comitissam, incipit.

Vipera perdiderat uim, ui parente puella,
Prona solo hæc graditor, sobolem ferat illa dolore.



DE HEVA PARENTE PRIMA.
Caput primum.

SCripturus igitur, quibus fulgoribus mulieres claruerint insignes, à matre omnium sumpsisse exordium, non apparebit indignum. Ea quippe uetustissima parens: uti prima, sic magnificis fuit insignis splendoribus. Nam non in hac ærumnosa miseriarum ualle, in qua ad laborem cæteri mortales nascimur, producta est: nec eodem malleo aut incude, etiam fabro facta, seu eiulans nascendi crimen deflens, aut inualida cæterorum ritu, uenit in uitam: quinimò (quod nemini unquam alteri contigisse auditum est) cum iam ex limo terræ, rerum omnium faber optimus, Adam manu conpegisset propria, & ex agro, cui postea Damascenus inditum nomen est, in horto deliciarum transtulisset, eum in soporem soluisset placidum, artificio sibi tantum cognito, ex dormientis latere eduxit eandem, sui compotem & maturam uiro, & loci amœnitate atq; factoris lætabundam intuitu: in mortalem, & rerum

dominam, atq; uigilantis iam uiri sociam, & ab eodē Heuam etiam nominatam. Quid maius, quid splendidius potuit vnquam contigisse nascenti? Pręterea hanc arbitrari possumus corporea formositate mirabilem, quid enim dei digito factum est, quod cætera non excedat pulchritudine? Et quamuis formositas hęc, annositate peritura sit, aut medio in ætatis flore, paruo ægritudinis impulsu lapsura: tamen quia inter præcipuas dotes suas, mulieres hanc numerant, & plurimum ex ea gloriæ (mortalium indiscreto iudicio) iam consecutæ sunt, non superfluè inter claritates earum, tanquam fulgor præcipuus & apposita est, & in sequentibus apponenda ueniet. Hæc insuper, tam iure originis quam incolatus, paradisi ciuis facta, & amicta splendore nobis incognito, dum unà cum uiro, loci delicijs frueretur auidè, inuidus felicitatis eius hostis, nepharia suasione ingessit illius animo, si aduersus unicam sibi legem à deo impositam iret, in ampliorem gloriam iri posse. Cui dum leuitate fœminea magis quam illi nobis quæ profuerit crederet, seque stolidè ad altiora conscensuram arbitraretur, ante alia, blanda quadam suggéstione, uirum flexibilem in sententiam suam traxit: & in legem agentes, arboris boni & mali poma dum gustassent temerario ausu, seque genusq; suū omne futurum, ex quiete & æternitate, in labores anxios & miseriam, mortem, & ex delectabili patria, inter uepres, glebas, & scopulos deduxere. Nam cum lux corusca, qua incedebant amicti abijsset, à turbato creatore suo obiurgati perissomatibus cincti, ex deliciarum loco in agros Hebron, pulsi exulésque, uenere. Ibi egregia mulier his facinoribus clara, cum prima (ut nonnullis creditum est) uertente terram ligonibus uiro, colo nere adinuenisset, sæpius dolores partus experta est, & quibus ob mortem filiorum atque nepotum angustijs angeretur animus, æquè miserè passa, et algores æstúsque, sinam, & incōmoda cætera, fessa laboribus, moritura deuenit in senium.

At Nini coniunx bello clarissima & armis,
Clarior incestu multo, deperdita luxu,
Iussit & illa, uiro proprio dominetur ut uxor.

DE SE-



DE SEMIRAMIDE REGINA ASSYriorum. Caput ſecundum.

SEmiramis inſignis atque uetuſtiſſima Aſſyriorum Regina fuit, à quibus tamen parentibus genus duxerit, annoſitas abſtulit, præter quod fabuloſum placet antiquis, aientibus eam filiam fuiſſe Neptuni, quem Saturni filium & maris Deum, erronea credulitate firmabant. Quod etſi credi non oporteat, argumentum tamen eſt, eam à nobilibus parentibus genitam. Hæc quidem Nino Aſſyriorum regi egregio nupſit, & ex eo Ninum paterno nomine filium peperit unicum. Sanè Nino omni Aſia & poſtremo Bactrianis ſubactis, ſagittæ ictu mortuo cum adhuc hæc iuuencula eſſet & filius puer, minime tutum exiſtimans, tam grandis & orientis imperij, ætati tam tenellæ habenas committere, adeo ingentis fuit animi, ut quas ferus homo armis ſubegerat nationes, coërcueratq́ꝫ uiribus, arte & ingenio regendas, fœmina auderet aſſumere. Nam Aſtu quodam muliebri, excogitata fallacia prægrandi mortui uiri ante alia decepit exercitum. Erat Semiramis liniamentis oris perſimilis filio, nudę utrięꝫ genę, nec erat per ętatem diſſona à puerili fœminea uox, & in ſtatura corporis nil uel modicum grandiuſcula differebat à nato. Quibus iuuantibus, ne in proceſſu quod fraudem detegere potuiſſet obeſſet, caput texit thyara, brachijs cruribusque uelamentis abſconditis: & quoniam inſuetum eo uſque eſſet Aſſirijs, egit, ne offerret nouitas habitus admirationem accolis, & ornatu ſimili omnis uteretur populus. Et ſic Nini olim coniunx filium, & fœmina puerum ſimulans, mira cum

diligentia, maiestatem regiam adepta: eam, militaremq; disciplinam seruauit, & mentita sexum: grandia multa, & robustissimis uiris egregia, operata est. Et dum nullo labori parcens, aut periculo territa inauditis facinoribus quorumcumque superasset inuidiam, non est uerita, cunctis aperire quæ foret, q; uirum fraude simulasset fœmininea quasi uellet ostendere, non sexum, sed animum inperio oportunum. Quod quantum aduertentibus ingessit admirationis, tantum mulieris maiestatem inclytam ampliauit. Hæc ut eius facinora paululum protensius deducamus in medium, sumptis, post insigne figmentum, uirili animo armis, non solum quòd uir suus quæsiuerat tutauit imperium sed Æthiopiam à se acri lacessitam bello atq; superatam iunxit eidem, & inde in Indos uehementia arma conuertit, ad quos nondum præter uirum quispiam accesserat. Babyloniam insuper, uetustissimum Nembroth opus, & uigentem ea ætate in campis Sennaar in ciuitatem restaurauit, murisq; ex cocto latere, arena, pice ac bitumine cōpactis, altitudine atq; grossicie & à circuitu longissimo admirandis ambiuit. Et ut ex multitudine eius gestorum unum memoratu dignissimum extollentes dicamus. Certissimum asserunt eam, pacatis rebus & otio quiescentem, ac die quadam fœminea solertia cum pedissequis crines disterminantem, ac ritu patrio in tricas reducentem, actum esse, cum nondum præter medios deduxisset, ut illi nuntiaretur, Babyloniam defecisse, quod adeo ægre tulit, ut proiecto pectine confestim ab officio muliebri, irata cousurgens, coarriperet arma: ac eductis copijs obsideret urbem præualidam: nec ante, quod inordinatorum crinium superfuerat composuit, quam potentissimam ciuitatem longa obsidione affectam, in deditionem cogeret, & suo dominio, infestis reuocaret armis. Cuius tam animosi facinoris, diu exhibuit testimonium, statua ingens ex ære conflata & in Babylonia erecta, fœminam solutis ex altero latere crinibus, ex altero in tricam compositis prætendens. Multas præterea ex nouo ciuitates edidit, & ingentia facta peregit: quæ adeo uetustas absorpsit, ut nil ferè super sit præter quod dictum est, quod ad suam pertineat laudem & ad nos usque deductum sit. Cæterum hæc omnia, ne dum in fœmina sed in quocunque uiro strenuo mirabilia, atq; laudabilia, & perpetua memoria celebranda, unà obscœna mulier fœdauit illecebra. Nam cum inter cætera, quasi assidua libidinis prurigine ureretur infelix, plurium se miscuisse concubitu creditum est, & inter mœchos (bestiale quid potius quam humanum) filius Ninus numeratur, unns præstantissimæ formæ iuuenis: qui uti mutasset cum matre sexum, in thalamis marcebat ocio, ubi hæc aduersus hostes sudabat in armis. O scelestum facinus (ut quieta sinam) inter anxias regnum curas, inter cruenta certamina, et quod monstro simile est, inter lachrymas et exilia, nulla tēporis facta distinctiōe, hęc

euolat

hæc euolat pestis: sensim incautas mentes occupans, & in præcipicium trahens, omne decus turpi nota commaculat. Qua fœdata Semiramis dum putat astutia abolere, quod lasciuia deturpauerat, legem illam insignem condidisse aiunt, qua præstabatur subditis, ut circa uenerea agerent quod liberet. Timénsque ne à domesticis fœminis concubitu fraudaretur filij (ut quidam uolunt) prima usum fœmoralium excogitauit, eisq; omnes aulicas fœminas conclaui subcinxit: quod ut fertur adhuc apud Ægyptios obseruatur & Assyrios. Alij tamen scribunt quòd cum in desiderium incidisset filij, eumque iam ætate prouectum in suos prouocasset amplexus, ab eodem cũ annis iam duobus & triginta regnasset occisam. A quibus dissentiunt alij, asserentes eam libidini miscuisse sæuiciam, solitámque, quos ad explendum suæ uredinis uotum aduocasset, ut occultaretur facinus, continuo post coïtum iussisse necari. Verum cum aliquando concepisset, adulteria prodidisse partu: ad quæ excusanda legem illam egregiam, cuius paulò ante mentio facta est proditam aiũt. Sed tam etsi uisum sit pauxillum contegisse crimen filij indignationem abstulisse minime potuit, quin seu quem suum tantum arbitrabatur, cum alijs communicatum incęstum cerneret minúsque ęquo animo ferret, seu quod rubori esse matris luxuriam duceret, aut forsan prolem in successionem imperij nasci turam expauesceret Reginam illecebrem ira impulsus absumpsit.

DE OPI SATVRNI CONIVGE.
Caput tertium.

Ops Dea frugum habita est, Saturnia coniunx,
Et mater diuum Cybele, probitatis imago,
Numen erat, Veteres multa quod laude colebant.

OPis seu Ops uel Rhea quæ & Cybele dicitur (si Priscis credimus) inter prospera & aduersa plurima claritate emicuit. Nam Vranij apud rudes adhuc Græcos potentissimi hominis, & Vestæ coniugis filia fuit. Quæ Saturni regis soror pariter & coniunx, nullo quod ad nos uenerit facinore, se egregiam fecerat, ni muliebri astutia, Iouem Neptunum atq; Plutonem filios, à morte, cum Saturno à Titano fratre pacta liberasse. Qui cum inscicia imò insania hominum æui illius, in claritatem præcipuè deitatis euasissent homines, hæc non solum reginæ decus adepta est, quinimò errore mortalium dea insignis & deorum mater est habita: eiq; templa sacerdotes & sacra instituto publico constituta sunt. Adeoque enorme malum conualuit, ut laborantibus secundo bello Punico Romanis, quasi pro salutari auxilio mis-

ſis conſularibus uiris, ab Attalo Pergami rege, ſimulacrũ eius expetitum prę cibus eſt, ritusq́ꝫ ſacrorũ, & ex Peſinunte oppido phrygiæ quoddã deforme ſaxũ ſumptũ qđ incolæ matrem deum eſſe dicebant, cũ diligentia Romã delatum atqꝫ ſum̃a cũ reuerentia ſuſceptum, & poſtremo inſigni locatum templo, tanq̃ ſublime numen atqꝫ Reipublicæ ſalutare, ꝑmulta ſecula cęremonijs plurimis apud Romanos & Italos cultũ eſt. Mirabile profecto fortunæ ludibrium, ſeu potius cæcitas hominum an melius dicere fraus & decipula Dæmonum, quorum opere actũ eſt, ut fœmina longis agitata laboribus, demũ anus mortua & in cinerem verſa, & apud inferos alligata & dea crederetur, & in tam grande æuum ferè ab uniuerſo orbe diuinis honoraretur obſequijs.

DE IVNONE REGNORVM DEA.
Caput quartum.

Aſt ego, quæ Diuum incedo Regina Iouisq́ꝫ
Et ſoror, & coniunx, una cum gente tot annos
Bella gero, & quisquam numen Iunonis adorat.

IVno Saturni & Opis filia, poëtarum carmine & errore gentilium, toto orbi præ cęteris mulieribus gentilitatis infectis labe, celeberrima facta eſt: in tantum ut nequiuerint taciti temporũ dentes (cũ cũcta corroderẽt) adeo infame exediſſe opus, quin ad ætatem uſque noſtram notiſſimum eius non euaſerit nomen. Verum ex hac potius fortunam egregiam recitare poſſumus quoniam opus aliquod memorabile dictu referre. Fuit enim cum Ioue illo Cretenſi quem decepti veteres cœli finxere deum, eodem ædita partu, & ab infantia tranſmiſſa Samum, ibique ad pubertatem uſque cum diligentia educata, Ioui demũ fratri nupſit, quod per multa ſecula eiuſdem ſtatua eſt in templo Sami teſtata. Nam exiſtimantes Samij, non modicũ ſibi, poſteriſq́ue ſuis afferre gloriæ, quod ſe penes, alta atque Ioui deſponſata Iuno ſit, quam cœli reginam arbitrabantur & deam, ne memoria hęc dilueret facile, templum ingens & præ cęteris orbis mirabile extruxere numiniq́ue eius dicauere, & ex marmore Pario, in habitu nubentis virginis, eiuſdem imagine ſculpti fecere, temploque prępoſuere ſuo. Hæc tandem regi magno nupta, excreſcenti eius in dies imperio atque fama, longe lateq́ue nomen ipſius efferente, non modicum & ipſa ſplendoris conſecuta eſt. Sanè poſtquam poëticis fictionibus, & inſana antiquorum liberalitate, cœli regina facta eſt, quę mortalis regina fuerat, Olympi regnis eam, diuitijſqꝫ præfecere: nec non & illi coniugalia iura atqꝫ parientiũ auxilia cõmiſcere: & alia lõge plura ridenda potius quã credenda. Ex quibus (ſic humani generis hoſte ſuadente) multa illi vndiqꝫ cõſtructa ſunt

cta sunt templa, altaria plurima, sacerdotes, ludi & sacra, more ueteri, instituta: Et (ut de reliquis taceam) post Samos celebri ueneratione ab Argiuis Achaię populis Carthaginēsibus diu honorata est, et postremo à Veijs Romã delata in Capitolio & in cella Iouis optimi maximi, non aliter quam uiro iuncta suo locata, sub uocabulo Iunonis reginæ à Romanis rerum dominis, cæremonijs multis & diu culta est, etiam postquã in terris apparuit deus homo.

DE CERERE DEA FRVGVM ET SICVlorum Regina. Caput quintum.



Legiferam Cererem, quis non miretur, ametq́ꝫ?
Semina quæ docuit terræ committere læta,
Cui tu rite fauos & miti dilue Baccho.

CEres, ut nonnullis placet, vetustissima Siculorum regina fuit, tantóque ingenio valuit, ut cum agrorum excogitasset culturam, prima apud suos boues domuit, & iugo assuefecit, & ad inuento aratro atque uomere, eorum opere terram proscidit, sulcisq́ue semina tradidit: quæ cum in amplissimam segetem excreuissent, hæc spicis eruere, lapidibus terere, fermento conficere, & in cibum deducere, homines glandibus & pomis syluestribus assuetos edocuit. Quod ob meritum, cũ mortalis esset fœmina, eã deam frugum arbitrati sunt: & diuinis honoribus extulere, eámque Saturni & Cybeles credidere filiam. Huic præterea, unicam ex Ioue fratre fuisse filiam proserpinam dicunt: eamqꝫ maxima maris turbatione ab Orco Molossorũ rege

raptam,& diu quæsitam uolunt, multis hinc fabulis occasionem præbentes. Fuit præterea & Ceres altera apud Eleusim Atticæ regionis ciuitatem, eiusdem meritis penes suos clara, cui Triptolenium obsequiosum fuisse uolunt, quas, eo quod uetustas deitate & hominibus æquè extulit, sub uno tantũ nomine ambarũ ingenia retulisse satis uisum est. Harum ædepol ingenium utrum laudẽ an execrer nescio. Quis enim damnet uagos syluestresq́; eductos in urbes è nemoribus homines? quis ritu ferarum uiuentes in meliorem euocatos frugem: quis glandes mutatas in segetes: quibus corpus lucidius, uegetiora membra & alimenta humano usui conformiora præstantur. Quis musco uepribus, arbustisq́ incõpositis, obsitum orbẽ, in cultum, pulchritudinẽ & utilitatem publicã versum, quis rude sæculũ in ciuile, quis à desidia in contemplationẽ excitata ingenia. Quis viros torpentes in spelæis in vrbicũ seu rusticanum exercitũ tractos, quibus tot ampliatæ vrbes, tot de nouo conditę tot aucta imperia, tot mores spectabiles inuenti cultiq́ sunt, frumentariæ artis inuenta noticia, quæ cũ de se bona sit, & quę dicta sunt omnia reor nisi quis iudicio plurimũ faciat, merito dicetur, deinde versa uice, quis laudat multitudinem sparsam syluas incolentem glandibus pomisque syluestribus ferino lacte herbisq́ atq; fluento assuetã, solutásque curis habentem pectora, sola naturæ lege contentã, sobriam, pudicam, & doli nesciam, inimicam feris tantũ & auibus, in molliores atq; in cognitos euocatam cibos: è quibus (nisi nosipsos decipimus) secutũ cernimus ut in abditis adhuc latentibus uicijs, exitumq́ timentibus, aperiretur iter & procedendi præstaretur securitas. Hinc arua eò usque cõmunia, terminis, fossa, distingui cœpta sunt, agriculationis subiere curæ, & partiri inter mortales cœpere labores. Hinc meũ & tuũ uenit in mediũ, nomina quidẽ inimica pacis publicę & priuatę, hinc pauperies seruitusq́, nec non & litigia, odia, cruentaq; bella, & vrens in circuitu euolauit inuidia: quę egere, vt uix dum curuatæ falces in messem, in acutos, rectosq́ in sanguinem gladios uerterentur. Hinc sulcata maria & occiduis Eoa cognita & Eois occidua. Hinc mollicies corporũ, sagina ventris, ornatus uestiũ, accuratiores mẽsæ, conuiuia splendida, torpor & otiũ aduenere, & quæ in dies usq; illos frigu erat, Venus calefieri cœpit maximo orbis incõmodo. Et (quid deterius forsan est) si minus æq; labentibus annis (ut fit) cœli seu bellorũ ira, cultu respõdeant, subintrat ilico annonæ pœnuria, & duriora priscis consurgũt ieiunia, sęua fames nunquam syluis cognita gurgustiola intrat inopũ non absq; diuitũ persępe periculo. Hinc turpis et effœta macies, infernalis pallor, et titubanti incedens gradu debilitas, morborũq; & festinatæ mortis, multiplices exoriunt causæ. Quibus inspectis unà cũ innumeris alijs, uix scio, imò scio, quia longe aurea illa, licet rudia & agrestia fuerint his nostris ferreis, cunctisque sæculis, præponenda sint.

DE MI-

DE MINERVA QVÆ ET PALLAS dicitur. Caput ſextum.

Arte, armis, ac Ingenio pollere Mineruam,
Atque Iouis Cerebro genitam dixere uetuſti.
Eloquium ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis quinquatribus optat.

MInerua quæ & Pallas dicta, tanta claritate conſpicua fuit, ut non illi fuiſſe mortalem originem ſtolidi arbitrati ſint homines. Aiunt quidem hanc in Attica Ogigij regis tempore apud lacũ Tritonium haud longe à ſinu Syrtium minori, primo uiſam in terris & cognitam, & quoniam tractu temporis multa facientem uidiſſent, ante non uiſa, non ſolum apud rudes Afros, uerum apud Græcos, qui ea tempeſtate prudentia anteibant cęteros, abſque matre, ex Iouis cerebro genitam, & cœlo ſparſam creditum eſt. Cui ridiculo errori tanto plus fidei auctum eſt, quanto occultior eius origo fuerit. Hanc ante alia uoluere perpetua floruiſſe uirginitate, quod ut pleniori credatur fide finxere Vulcanum, ignis deum, id eſt concupiſcentię carnis feruorem diu cum ea luctatum ſuperatumq́ꝫ. Huius inſuper incognitum omnino omnibus ante, lanificium inuentum fuiſſe volunt. Nam oſtenſo quo ordine purgata ſuperfluitatibus lana, eaque dentibus mollita ferreis, apponeretur colo, atque demum digitis deduceretur in filum, textrinæ excogitauit officium: eaque docuit, quo pacto internecterentur fila, & tractu pectinis iungerentur, & calce ſolidaretur intextum. In cuius opificij laudem pugna illa inſignis eiuſdem & Arachnes Colophoniæ recitatur. Vſum inſuper olei eo uſque mortalibus inauditum hæc inuenit: docuit atque Atticos baccas mola terere trapetiſq́ue premere. Quod quia multum utilitatis afferre uiſum ſit, ei aduerſus Neptunum in nominandis à ſe Athenis, attributa uictoria creditur. Volunt etiam huius fuiſſe opus cum iam quadrigarum prima reperiſſet uſum, ferrum in arma arte conuertere, armis corpus contegere, aciem bellantium ordinare, & leges omnes quibus eatur in pugnam edocere. Dicunt præterea eam numeros inueniſſe, & in ordinem eduxiſſe, quem in hodiernũ uſque ſeruamus. Cæterum ex oſſe cruris, alicuius auis, ſeu ex paluſtri potius calamo, eam tibias ſeu paſtorales fiſtulas primam compoſuiſſe credere, eaſque in terras è cœlo deieciſſe, eo quòd flantis redderent turgidum guttur & ora deformia. Quid multa? ob tot comperta prodigia, deitatum largitrix antiquitas eidem ſapientiæ numen attribuit. Quo intuitu tracti Athenienſes ab ea nuncupati, & eo quòd ciuitas ſtudijs apta uideretur, per quæ quiſqꝫ fit prudens & ſapiens, eam in ſuã ſumpſere tutelã eiqꝫ arcem dicauere, & ingenti tem-

ti templo constructo suoque numini consecrato, in eodem illam effigiauere, oculis toruam, eo quòd raro nascatur in quem finem sapientis tendat intentũ, galeatam uolentes ob id sapientum tecta & armata significari consilia: indutam lorica, eo quod ad quocunque fortunæ ictus semper armatus sit sapiens: longissima munitam hasta, ut comprehendatur sapientem in longinquo spicula figere, præterea cristallino ægide, & in eo Medusæ gorgonis caput fixũ protectam: prætendentes ob hoc lucida sapienti omnia esse tegumenta, eosq; serpentina semper astutia adeo præmunitos, ut saxei eorum intuitu uideantur ignari. Eiusq; in tutelam noctuam posuere, firmantes prout in luce, sic et in tenebris uidere prudentes. Tandem huius mulieris fama, atque numinis reuerentia, se adeo longè latèque diffudit, tantúmque fauit illi ueterum error ut illi ferè per uniuersum orbem eius honorem templa construerentur, & celebrarentur sacra, eo usque conscenderet, ut in Capitolio penes Iouem optimũ maximum, cella dedicaretur eidem, ut inter potissimos Romanorũ deos cum Iunone regina, & ipsa dea pariter haberetur. Sunt tamen nonnulli grauissimi uiri asserentes, non unius Mineruę, sed plurimum quæ dicta sunt fuisse comperta, quod ego libenter assentiam, ut claræ mulieres ampliores sint inumero.

DE VENERE CYPRORVM REGINA, Caput septimum.

Io. Telorus.

En formosa Venus, multos celebrata per annos,
Dulce quod est, sensim multo sale, miscet amaris.
Hinc Amor, hinc mundi mens, desideria uitæ
Orta placent, tacitis gaudet Venus aurea furtis.

VEnerem Cyprianam fuisse fœminam quorundam arbitratur opinio: De parentibus autem à nonnullis ambigitur. Nam alij eam Cyri cuiusdam & Cyrie uolũt filiam. Quidam uero Cyri & Dionis Cypriæ mulieris. Nonnulli (reor) ad eius extollendam pulchritudinis claritatem Iouis & Dionis prædictam genitam asserunt. Sane ex quocunque sit patre genita eam inter claras mulieres, potius ob illustrem eius pulchritudinem quam ob decorosum meritum describendam censui. Tanto igitur oris decore, & totius corporis uenustate emicuit, ut sæpe intuentium falleretur credulitas. Nam quidam illam, ipsum cœli sydus, quod Venerem nuncupamus dicebant, alij etiam cœlestem fœminam in terras ex Iouis gremio lapsam. Et breuiter omnes tetra obfuscati caligine quã sciebãt à mortali fœmina editã

immorta

immortalem asserebant deam: eamque infausti amoris, quem cupidinē uocitabant, genitricem totis nisibus affirmabant. Nec illi intercipiendi stultorum intuentium mentes uarijs gesticulationibus deerant artes. Quibus agentibus meritis, eo usque itum est, ut nequeuntibus obsistere obscœnitatibus mulieris, quas euestigiò non tamen omnes scripturus sum, & Iouis filia, & ex deabus unà etiam uenerandissima habita sit. Nec solum apud Paphum uetustissimum Cypriorū oppidum, thure solo placata est, nam mortuam & incœstuosam fœminam, eo delectari existimabatur odore, quo uiuens in prostibulorum uoluptabatur spurcitie, uerum & apud nationes reliquas & Romanos, qui templū ei sub titulo Veneris, genetricis & Verticordę alijsq; insignibus olim struxere. Sed quid multa? Hanc duobus nupsisse uiris creditum est. Primo nupserit non satis certum, nupsit ergo (ut placet aliquibus) ante Vulcanū lemnorum regi & Iouis Cretensis filio: quo sublato, nupsit Adoni filio Cynyræ, atque Myrrhæ regis Cypriorum, quod uerisimilius mihi uidetur, quam si primum uirum Adonem dixerimus, eo quòd seu complexionis suæ uitio, seu regionis infectione, in qua plurimum uidetur posse lasciuia, seu mentis corruptæ, malicia factum sit, Adone iam mortuo, in tam grandem luxurię pruritum lapsa est, ut omnem decoris sui claritatem crebris fornicationibus maculasse uideretur, cum iam adiacentibus regionibus notum foret, eam à Vulcano uiro primo, cum armigero compertam: ex quo creditum, fabulam adulterij Martis & eiusdem sibi comperuisse locum. Postremo autem, ut ab impudica fronte paululum ruboris abstersisse uideretur, & lasciuiendi ampliorem sibi concessisse licentiam, infanda turpitudine excogitata, prima (ut aiūt) meretricia publica adinuenit, & fornices instituit, & matronas inire conpulit, quod execradum scelus Cypriorum consuetudo in multa proiecta secula satis testata est, seruauere quidem diu mittere uirgines suas ad littora, ut forensium uterentur concubitu, & sic futuræ castitatis suæ libamenta persoluisse uiderentur Veneri, & suas in nuptias quæsisse dotes, quæ quidem abominanda stulticia postea penetrauit ad Italos usq;, cum legatur aliquando idem fecisse Locrenses.

Ouidius Metame.

Donec Aristoridæ seruandam tradidit Io.
Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Theodolus.

Ventilat hæc œstro decoratum carnibus Io,
Iuno ferox, & ei tutelam deputat Argi.

DE ISI-

DE ISIDE REGINA ATQVE DEA Ægyptiorum. Caput. viij.

ISis cui antea nomen Io, clarissima non solum Ægyptiorũ regina, sed eorum postremo sanctissimum & uenerabile numen fuit. Quibus tamen fuerit temporibus, aut ex quibus nata parentibus, apud illustres Historiarum scriptores ambigitur. Sunt autem qui dicunt illam Inachi primi regis Argiuorum filiam & Phoronei sororẽ, quos constat Iacobi filij Isaac tempore imperasse, alij Promethei genitam asserunt, regnante apud Argos Phorbante, quod longe post primum tempus effluxit, nonnulli eam fuisse temporibus Cecropis Athenarum regis affirmant, & quidem insuper aiunt Lincei regis Argiuorum eam floruisse temporibus, quæ quidem inter celebres uiros diuersitates argumento non carent. Hanc inter fœminas suo æuo egregiam fuisse, et memoratu dignissimam tradunt omnes, uerum obmissis scriptorum discordantijs, quod plurimi arbitrantur, imitari mens est, eam scilicet Inachi regis fuisse filiam, quàm etsi poëtę ueteres fingant ob uenustatem formæ placuisse Ioui, & ab eo oppressam & ad occultandum crimen in uaccam transformatam, petentiq́ue Iunoni concessam: & Argum custodem à Mercurio cæsum, uaccęq; à Iunone œstrum suppositum & eam deuectam cursu rapido in Ægyptum, ibidemq; pristinam à se recuperatam formam, & ex Io, Isidem appellatam, ab historiæ ueritate non discrepant, cum sint qui asserant à Ioue adultero oppressam uirginem, eamq; ob perpetratũ scelus metu patris impulsam, cũ quibusdam ex suis cõscendisse nauem, cui uacca esset insigne, & ingenio plurimo, ac ingenti præditã animo, regnorũ cupidine agitatam secundo uento ad Ægyptios transfretasse, & ibidem actam desiderio, regione comperta, constitisse. Tandem cum non habeatur, quo pacto obtinuisset Ægyptum, forè certum creditur, quod ibi comperisset rudes inertesq; populos, & humanarum rerum omnium ferè ignaros, ac ritu potius brutorum uiuentes quam hominum, non absq; labore & industria celebri, illos docuit terras colere, cultis commitere semina, & tandem collectas in tempore fruges in cibum deducere, preterea uagos & ferè syluestres in unum se redigere, & datis legibus ciuili more uiuere, & (quod longe spectabilius in muliere est) coacto in uires ingenio characteribus literarum idiomati incolarum conuenirent adinuentis ijsdemq; apis ad doctrinam, qua lege iungerentur, ostendit quæ (ut de reliquis taceam) adeo mirabilia insuetis hominibus uisa sunt, ut arbitrarentur facile, non ex Gręcia uenisse Isidem sed è cœlo lapsam, & ob id spiranti adhuc diuinos honores instituere omnes. Cuius quidem numine, fallente ignaros diabolo, in tam grandem ea mortua atq; famosam uenerationem euasit, ut

Romæ

Romæ iam rerum dominę, illi templum constitueretur prægrande & in Ægyptiaco ritu quotannis solenne sacrum institueretur, nec dubium quin ad occiduas vsque et ad barbaras nationes hic penetrarit error. Porrò huius tam claræ fœminę uir fuit Apis, quem uetustas erronea, Iouis & Niobes Phoronei filiæ, filium arbitrata est, quem aiunt Agialeo, fratri Actaïę regno concesso, cum Argis triginta quinq; regnasset annis secessisse in Ægyptum, & unà cũ Iside imperasse, æque deũ habitũ, & Osirim seu Serapim nuncupatũ, esto, sint qui dicant Isidi Thelogonum quendam fuisse uirum, & ex ea suscepisse Epaphum qui Ægyptijs postea præfuit, & Iouis ex ea filius existimatus est.

DE EVROPA CRETENSIVM REGINA. Caput. ix.



Iupiter Europam delusit imagine tauri,
Et per eum genuit Lyciæ Sarpedona regem,
Et dominum Cretæ Minoëm cum Rhadamantho.

EVropam arbitrantur quidã filiam fuisse Phœnicis, uerum longè plures eam Agenoris Phœnicum regis genitam dicunt, & tam mirabili formositate ualuisse ut amore eius, inuisę Cretensis caperetur Iupiter, ad cuius rapinam cum moliretur insidias potens homo, actũ uolunt, lenocinio uerborum cuiusdam, ut ex montibus in littusq; Phœnicũ, lasciuiens uirgo, armẽta patris sequeret: & exinde rapta, confestim atq; naui, cuius albus taurus erat

insigne, imposita, deferretur in Ceretam, Vagari licentia nimia virginibus & aures faciles cuiuscunque uerbis præbere, minime laudandum reor, cum contigisse sæpe legerim sic agentibus, honestati earũ notas turpes imprimi, quas etiam perpetuæ, deinde castitatis decus abstergere non potuit. Ex his fabulam, qua legitur Mercurium (per quem eloquenciam lenonis cuiusdam significant) impulisse ad littus armenta Phœnicum, & Iouem in taurum uersum natantemq́ in Cretam, Europam uirginem asportasse: causam sumpsisse liquidè patet, uerum in tempore rapinæ huius, prisci discrepant, nam qui antiquiorem ponunt, regnante Argis Danao factam uolunt, alij regnante Acrisio, & qui postremi sunt Plandione rege Athenienſibus imperante, quod magis Minoïs, filij Europæ, temporibus conuenire uidetur. Hanc aliqui à Ioue oppressam simpliciter uolunt, & inde Asterio Cretensium nupsisse regi, & ex eo Minoẽm, Radamantum & Sarpedonem filios peperisse, quos plurimi dicũt filios Iouis fuisse. Asserentibus nonnullis Asterium Iouemq́ eundem fuisse. Quæ disceptatio, cum spectet ad alios claram tanti dei connubio plures Europam uolunt, affirmantes insuper aliqui, seu quia nobilitatis fuerat egregiæ, seu quòd Phœnices, multis meritis suo æuo præ cęteris stemmatibus claruere maiorum, seu diuini coniugis ueneratione seu filiorum regnum gratia, uel ipsiusmet Europæ uirtute præcipua, ab eius nomine Europam partem orbis tertiam in perpetuum honorem nuncupatam. Quam profecto ego insignem uirtutibus mulierem, non solum ex concesso orbi nomine arbitror, sed à spectabili ex ære statua (ut Varro refert) à Pythagora illustri philosopho Tarenti Europæ dicata nomini.

DE LIBYA REGINA LIBYÆ. Caput. x.

Clara fuit genere & factis regina Libyssis,
Hæc Epaphi coniunx fama celeberrima mater,
Quæ monstrum horrendum genuit Busyrida crudum.

Libya ut uetustissimi uolunt auctores, Epaphi Ægyptiorum regis fuit filia, ex Cassiopeïa cõiuge, eaq́ nupsit Neptuuo, id est extero homine ab Ægypto atq́ potenti uiro, cuius proprium nomen ad nos usq́ non uenit, & ex eo peperit Busiriden immanem, postea superioris Ægypti tyrannum, Huius magnifica opera ab annis creduntur consumpta, sed ea fuisse maxima satis argumenti præstat, eam tantæ apud suos fuisse auctoritatis ut eius Aphricæ pars, cui imperauit Libya, omnis, de suo nomine appellata sit.

DE MARTHESIA ET LAMPEDONE reginis Amazonum. Caput xi.

Splendida claret Amazonidum gens undiq; bello,
Marte potens, furibunda manus, præclara periclis,
Sumere quæ docuit, crucians in rebus egestas.

MArthesia & Lampedo sorores fuere Amazonum inuicem reginæ, & ob illustrem bellorum gloriam sese Martis vocauere filias, Quarum quoniam peregrina sit historia paulò altius assumenda est. E Scithya ergo regione quæ in Orientem porrecta, uno la ere Ponto, & ab altero montibus Ryphęis, à tergo Asia & Tanai flumina includit, ut multũ in longitudinem latitudinemq; protrusa, Hæc ea tempestate syluestri & ferè inaccessa exteris fuerat, in hac Plinos & Scholopythus (ut aiunt) regij iuuenes factione maiorũ pulsi, cum parte populorũ usq; ad Termodoontem Capadociæ amnem deuenere ibiq; consedere & Themiscyrijs occupatis aruis, raptu uiuere & incolas latrocinijs infestare cœpere. A quibus tractu temporis per insidias ferè omnes trucidati sunt. Quod cum ęgre ferrent uiduatæ eorũ coniuges, & in ardorem uindictę deuenissent feruidę, cum paucis qui superuixerant uiris in arma prorupere. Et primo impetu facto hostes à suis demouere finibus, inde ultrò circumstantibus intulere bellũ, demũ arbitrantes seruitutem potius quam coniugiũ, si exteris matrimonio adhęrerẽt hominibus, & fœminas solas posse sufficere bellis & armis, & ne istę mitiores uiderentur habuisse deos quàm cæterę, quorũ uiros à cæde finitimorũ fortuna seruasset, cõmuni consilio irruentes in eos, omnes interimere, inde in hostes furore cõuerso, quasi uirorũ neces ulturæ: illos adeo cõtriuere, ut ab eis facile pacem impetrarent. Qua suscepta ad successionẽ consequendã uicissim finitimis adhærebant, & cũ concepissent euestigio reuertebantur in sedes. Tandem quę nascebantur mares occidebantur illico, uirgines ad militiam cũ diligentia seruabantur, tenellis igne seu medicamine alio, sublato incremento mãmillæ dexterę, ne sagittandi exercitium impediretur adultis, sinistra liquebatur in tacta, ut ex illa nutrimenta, porrigerent nascituris, ex quo Amazonũ uocabulum quod sine mam̃a essent, sortitę sunt. Nec eis in alendis uirginibus fuit ea cura quæ nostris, nam colo, calathis alijsq; muliebribus abiectis officijs, uenationibus, discursionibus, domationibus equorũ, laboribus armorũ assiduis, sagittationibus & huiusmodi exercitijs maturiores puellulas durabant, in aptitudinem & uirile robur. Quibus artibus nõ solũ Themiscyrios tenuere campos, à suis olim maioribus occupatos, quinimò, Europę ingenti parte, bellorũ iure quæsita, plurimũ Asiæ occupauere, formidabilesq; fuere omnibus. Sanè ne uiribus deesset regimen

 ante

ante alias Marthesiam & Lampedonem post cæsos uiros instituere reginas sibi, sub quarum auspicijs ut demonstratum est, suum plurimũ imperiũ auxere. Hæc quidẽ cũ militari disciplina insignes essent, partitis intra se prouincijs, utputa cũ una in regni tutelã subsisteret, reliqua parte copiarum sumpta ad subijciendos finitimos earum imperio intendebat, & sic uicissim maximis partis prædijs auxerunt aliquandiu rempublicã. Verum cũ Lampedo ad ultimum in hostes duxisset exercitum repentino barbarorũ circumadiacentium incursu Marthesia nimiũ fidens sibi relictis aliquibus filiabus, cũ parte copiarum cęsa est. Quid aũt ex Lampedone secutum sit legisse non memini.

DE THYSBE BABYLONIA VIRGINE. Caput xij.



Pyramus & Thysbe iuuenum pulcherrimus alter,
Altera quas oriens habuit prælata puellis,
Ex æquo captis ardebant mentibus ambo,
Quos miserè perimit stulti impatientia amoris.

THysbe Babylonia uirgo infelicis amoris exitu magis quam opere alio inter mortales celebris facta est. Huius & si non à maioribus nostris qui parentes fuerint habuerimus, intra tamen Babyloniam habuisse cum Pyramo ætatis suę puero contiguas domos satis creditum est. Quorum cum esset iure conuicinij, quasi conuictus assiduus, & inde eis adhuc pueris puerilis affe-

rilis affectio, egit iniqua sors ut crescentibus annis (cum ambo formosissimi essent) puerilis amor in maximum augeretur incendium, illud'q; inter se nutibus saltem aperirent aliquando, iam in puberem propinquantes ætatem. Sanè cum iam grandiuscula fieret Thysbe à parentibus in futuros hymenęos domi detineri cæpta est. Quod cum ęgerrime ferrent ambo, quærerent'q; soliciti qua uia possent saltem aliquando colloqui: à nullo adhuc uisam cõmunis parietis inuenere in seposito rimulam, ad quam cum clàm conuenissent sępius & consuetudine paululum colloquendo, pariete etiam obice, quo minus erubescebant, ampliassent exprimendi affectiones suas licentiam, sæpe suspiria, lachrymas, feruores, desideria, et passiones omnes aperiebant suas, nõnunquã etiam orare inuicem pacem animorum, amplexus, & oscula, pietatem, fidem dilectionem'q; perpetuam. Tandem excrescente incendio, de fuga iniuere cõsilium, statuentes, ut nocte sequenti quam, primum quis posset suos fallere, domo exiret, & se inuicem, si quis prior euaderet, in nemus ciuitati proximũ abiens, penes fontẽ, Nini regis busto proximũ, tardiorẽ expectaret. Ardentior forte Thysbe, prima suos fefellit, & amicta pallio, intẽpesta nocte, sola patriã domũ exiuit, & luna monstrante uiam in nemus intrepida abijt. Et cum secus fontẽ expectaret, & ad quęcunq; rei motũ sollicita, caput extolleret, leęnã uenientẽ animaduertens, relicto in aduertenter pallio aufugit in bustũ, leæna aũt pasta, sua siti posita, cõperto pallio & aliquã diuad illud cruento ore de more fricato atq; exterso, unguibus laceratum liquit & abijt. Interim tardior Pyramus æque relicta domo deuenit in syluam, dumq; per silentia noctis intentus comperisset laceratum cruentum'q; pallium Thysbes, ratus eam à belua deuoratam, plangore plurimo locum compleuit, se miserum incusans, quoniam dilectissimæ uirgini, seuæ mortis causam ipse dedisset, & aspernans de cætero uitam, exempto quem gesserat gladio, moribundus secus fontem pectori impegit suo. Nec mora Thysbe potam leænam abijsse rata, ne decepisse videretur amantem aut diu expectatione suspensum teneret, pedetentim ad fontem regredi cœpit. Cui iam propinqua palpitantem adhuc Pyramũ sentiens, pauefacta ferè iterũ abijt, tandem lumine lunæ percepit, quoniam iacens suus esset Pyramus: & dum eius in amplexus festina iret eũ sanguini per vulnus effuso incubante, atq; iam omnẽ effundentem animã comperit. Quę cũ aspectu obstupuisset, primo mœsta, tandem ingenti cũ fletu frustra præstare subsidia, & animã retinere osculis, & amplexus aliquã diu conata est. Verum cũ nec uerbũ haurire posset, sensisset'q; uilipendi tam feruenti pridie desiderio optata basia, & amantẽ in mortem festinare uideret, rata quoniã eam non cõperisset occisam, in acerbũ fatum cũ dilecto à se puero, amore pariter & dolore suadentibus: ire desposuit. Et arrepto capulotenus ex vulnere gladio cũ gemitu plora

tuc̄q; maximo nomen inuocauit Pyrami, orauitq; ut Thysbem suā saltem morientem aspiceret & exeuntē expectaret animam, ut simul in quascunq; sedes incederent. Mirum dictu, sensit moriētis deficiens intellectus amatæ uirginis nomē nec extremū negare postulatū passus, oculos in morte grauatos aperuit & inuocantem aspexit, quæ confestim pectori adolescentis cultroq; super incubuit, & effuso sanguine secuta est animā iam defuncti. Et sic quos amplexu placido ex inuidia fortuna iungi minime passa est, infelicē amborū sanguinem misceri prohibuisse non potuit. Quis non compatietur iuuenibus? quis tam infelici exitui lachrymulam saltem unam non concedit saxeus erit, amarunt se pueri: non enim ob hoc infortunium meruere cruentū, florentis ætatis amor crimen est: nec horrendum solutis crimen, in coniugiū ire poterant, peccauit sors pessima, & forsan miseri peccauere parentes. Sensim quidē frenandi sunt iuuenum impetus, ne dum repentino obice illis obsistere uolumus desperantes in præcipitium impellamus. Immoderati vigoris est cupidinis passio, & adolescentium ferè pestis & come flagitium, in quibus Ædepol pacienti animo toleranda est, quoniā sic rerum volente natura fit, ut dum ætate valemus ultro inclinemus, in prolem, ne humanum genus in defectū corruat, si coitus differantur in senium.

DE HYPERMNESTRA ARGIVOrum regina & sacerdote Iouis. Caput xiij.

Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni,
Cætera nuptarum crimine turba iacet.
Fœmina sum, & uirgo natura mitis & annis,
Non faciunt molles ad fera bella manus.

HYpermnestra genere & dignitate clara, Danai Argiuorum regis filia & Lincei, seu ut quidam uolunt Lini coniunx fuit. Colligitur autē ex historijs antiquorum, duos quondam in Ægypto fuisse fratres, Beli prisci filios, spectabili præeminentes imperio: quorum Danaus unus, alter autē Ægyptus nuncupatus est, nec prolis ambobus fuit æqua fortuna, esto numerus esset æquus. Nam Danao quinquaginta fuere filiæ, filijq; totidem Ægypto. Sanè cum in oraculis habuisset Danaus, quoniam manu, nepotis ex fratre, occideretur, clāmq; angeretur timore plurimo: cum ex tam ingenti multitudine nesciret, cuius suspectas deberet habere manus, contigit ut iam pubescentibus vtriusq; liberis peteret Ægyptus, ut Danai filiæ omnes filijs suis iūgerentur cōiugio, quod Danaus sęuo excogitato facinore ultro concessit, desponsatisq; filiabus

filiabus nepotibus, cũ nuptiale sacrum pararetur, eas omnes summopere prę-monuit, ut si salutem suam uellent, unaquæq; uirũ suum nocte prima, dum ui-no epulisq; madentem, somnoq; illigatum graui cognosceret, ferro perime-ret. Quæ omnis, cultris clàm cubiculis suis illatis, marcentes hesterna crapu-la iuuenes, iussu interficere parentis. Ast Hypermnestra sola abstinuit, appo-suerat quippe virgo iam animum suũ in Linum seu Linceũ uirum suũ, ut mo-ris est puellarũ euestigio uiso sponso, illũ diligere: & ob id ei compassa, ingen ei cũ laude sua, à nefanda cæde abstinuit, suasitq; iuueni fugã, qua tutus esset. Verũ cũ cæteris mane ob patratũ scelus, trux pater applaudisset, Hypermne stra sola obiurgata, & carcere clausa, pium aliquãdiu fleuit opus. Heu miseri mortales, quã cupido animo, quamq; feruenti peritura concupiscimus? & oc casum aspernantes intueri, quàm execrandis ijs (si præstetur) celsa conscen-dimus: quibus sceleribus conscensa seruamus? quasi obscœnis operibus arbi-tremur uolubilem firmari posse fortunam: & (quod ridiculũ est) quibus cri-minibus, quàm scelestis facinoribus, uolatilem fragilemq; uitę huius dieculã, non dicam longare, sed perpetuare conamur, cũ in mortem ire cæteros cursu volucri uideamus? Quibus detestandis consilijs, quibus nefandis operibus, dei irritamus iudicium? Vt (alios sinam) testis infandus sit Danaus, qui dum plurimo nepotũ sanguine, suos iam tremulos annos ampliare nititur, robusta se ac splendida nepotũ nudauit acie: & perenni labefactauit infamia Arbitra-tus est homo nequam, paucos frigidosq; annos senectutis suæ, floridis adole-scentiæ nepotum suorum, præponendos fore, quod forsan tanquam vtilius existimasset alius, dũmodo seruasset honestè. Verum per vulnera iuuenum filiorum, quæsisse suumq; prolongasse seniũ, immane facinus iure videri po-test. Et quod plurimum ignominiæ semper addit: non satellitum manus, sed filias armauit in scelus, vt non tantum nepotes aufferet, sed ut scelere filias fu-nestas haberet, quas habere pietate potuisset honestas. Et dũ uitã seruare hoc crimine cupit, non aduertit, quantum audaciæ, quantum fraudis quantumq; detestandæ enormitatis futuris perniciosis mulieribus: & infausti relicturus esset exempli, fidem coniugij calcari fecit perfidia, vbi sacras inferri faces tha-lamis pius iussisse parens debuerat, infaustos gladios imperauit. Vbi nos in coniugalem dilectionem natas hortari consueuimus, is in odium animauit, & cædem atq; quod in omnes ausus non fuisset, in singulos, natas immisit, quod die non attentasset: nocti perfici uoluit: quod non præsumpsisset in castris, thalamis mandauit impleri: non aduertens quia quot annos viridi iuuen-tuti nepotum aufferret per scelus & fraudem, tot sibi fœdata ignominosi sui facinoris secula reseruaret: & qui quinquaginta iure poterat habere generos, hostis male meritus seruatus est vnico Nepoti. Cuius tandem

manus (dei iusto uolente iuditio) truculentus senex euasisse non potuit, quin ille nocuus sanguis effunderetur, quem tam multo nepotũ sanguine redemisset. Qui seu pulsus, seu profugus, seu uocatus transfretauit in Græciam, & Argiuorum regnum ingenio & uiribus occupatam tenuit. Sunt qui uelint prædictum facinus à Danao ibi perpetratum: sed ubicunq; factum sit, à Lino truculentiæ memore, occisus occubuit: & pro eo Linus ipse regnauit Argiuis, eductaq; è carcere Hypermnestra, atq; meliore omine sibi iũcta cõiugio regni participem fecit. Quæ non solum regina refulsit, sed Iunonis Argiuæ sacerdos effecta, candore splendoris duplicis ornata comparuit, & cum sorores in turpem abijssent infamiam, ipsa ob conmendabilem pietatem nomen suum laude dignum, usque ad nos transmisit insigne.

DE NIOBE REGINA THEBAnorum. Caput xiiij.

Nam pater Amphion ferro per pectus adacto,
Finierat moriens pariter cum luce dolorem,
Heu quantum Niobe, Niobe distabat ab illa.
Inclyta progenies, & fœlicissima matrum,
Dicta foret Niobe, si non sibi uisa fuisset.

NIobe ferè vulgo inter egregias notissima mulierum, cum vetustissimi atq; famosissimi Phrygiorum regis Tantali nata fuisset, & Pelopis soror, nupsit Amphioni Thebanorum regi, ea tempestate clarissimi: tam quia Iouis proles, quàm quia præcipue ualeret facundia, & ex eo, perseuerante regni gloria, septem peperit filios, & filias totidem. Sanè quod sapienti profuisse debuerat, superbienti fuit exitium, nam tam splendore conspicuæ prolis, quàm maiorum suorum fulgore elata, etiam in numina obloqui ausa est. Erant equidem iussu Mantonis Tiresiæ cuiusdam uatis filiæ soliciti dierum unà Thebani, circa sacra Latonæ matris Appollinis, & Dianæ, ueterum superstitione venerandis numinibus. Tum quasi agitata furijs, circumsepta natorum acie, & regijs insignita notis, prosiliuit in medium Niobe clamitans, quæ nam illa esset Tebanorum dementia, Latonę sacrum disponere, & exteram fœminam, cui Titanis genitam, duos tantum adulterio conceptos enixã filios, sibi eorum reginæ præponere, rege Tantalo natę, & quæ 12. eis videntibus ex coniuge peperisse genitos, sibiq; tanquã digniori cęrimonias illas deberi. Tandem paruo temporis tractu factũ est, ut ea uidente letali peste nati omnes, pulchra iuuentute florentes infra breue spacium absumerentur, usq; ad unum. Amphion qui ex patre 12. filiorum, repente orbus factus esset, dolore

impellente

impellente manu propria gladio transfoderetur: existimantibus Thebanis hæc iure superis ulciscentibus numinis iniuriam contigisse. Niobe autem tot funeribus superstes vidua mœstaq́ꝫ, in tam grandem atqꝫ obstinatam taciturnitatem deuenit, ut potius immobile saxum uideretur, quàm fœmina. Quam ob causam à poëtis postea fictum est, eam apud Sipylum, ubi sepulti fuerant filij in lapideam statuam fuisse conuersam. Durum est & odio sum plurimū superbos non dicam tolerare, sed spectare homines, mulieres autem fastidiosum, & importabile, cum illos feruentis animi atqꝫ elati, ut plurimum natura produxerit. Has uero mitis ingenij, & remissæ uirtutis, lauticijs potius quam imperijs aptas produxit: quàm orbem mirabile minus, si in elatas dei procliuior ira sit, & iudicum sæuius, quotiens eas suæ debilitatis contingat excedere terminos: ut insipiens Niobe fecit, fortunæ lusa fallatia & ignara, quoniam amplę prolis parentem fore non uirtutis parientis, sed naturę opus esse, in eos cœli benignitatem flectentis. Satis igitur illi imò debitum erat, deo ex concessis egisse gratias, quàm sibi diuinos qualescunque honores quæsisse, tanquam sui fuisset operis, tam numero suam prolem atqꝫ conspicuam peperisse. Quæ dum superbè potius quàm prudenter operata est, egit ut infortunium uiua fleret, & post multa secula suum nomen posteritati foret exosum.

DE HYPSIPYLE REGINA LEMNI.
Caput XV.

Si te nobilitas, generosaq́ꝫ nomina tangunt,
En ego Minoo nata Thoante feror.
Medeam timui, plus est Medea nouerca,
Medeæ faciunt ad scelus omne manus.
Prodidit illa patrem, rapui de Cæde Thoanta,
Deseruit Colchon, me mea Lemnos habet.

Hypsipyle insignis fuit fœmina, tam pietate in patrem quàm infelici exilio & Archemori alumni morte, atqꝫ subsidio natorum oportuno in tempore repertorum. Fuit etenim hæc Thoantis Lemniadum regis filia, eo æuo regnantis, quo rabies illa subiuit mulierum mentes, subtrahendi omnino indomita colla uirorum iugo. Nam paruipenso senis regis imperio, adhibita secum Hypsipyle unanimes, in id deuenere consilium, ut sequenti nocte gladijs sæuiretur in quoscunque masculos, nec defuit opus proposito. Sane sæuientibus reliquis, consilium mitius menti Hypsipyles occurrit.

occurrit. Nam rata fœdari paterno ſanguine inhumanum fore, genitori detecto reliquarum facinore, eoque in nauim demiſſo, ut Chium effugeret publicam iram, eueſtigio ingenti conſtructo rogo, ſe patri poſtremũ exhibere finxit officium. Quod cum crederetur à cunctis, patrio impoſita throno, loco regis, impijs mulieribus regina pręfecta eſt: ſanctiſſima quippe filiorum pietas in parentes eſt, quid enim decentius? quid iuſtius? quid laudabilius? quam his humanitate atq; honore uices reddere: quorũ labore inuallidi alimẽta ſumpſimus, ſolertia tutati ſumus & amore inceſſabili in prouectiorem ætatem deducti, & inſtructi moribus & doctrina, nec non honoribus atque facultatibus aucti & ingenio ualemus & moribus? Atque cũ ab Hypſipyle omnia officia cũ cura impenſa ſint parenti, non immerito, illuſtribus addita mulieribus eſt. Ea igitur regnãte, Iaſon ſeu ui uentorum impulſus, ſeu ex propoſito deuectus, cum Argonautis in Colchon tendentibus, fruſtra prohibẽtibus fœminis, occupato littore, à Regina hoſpicio, atq; lecto ſuſceptus eſt: Ex quo abeunte cũ geminos in tempore peperiſſet filios, eosq; Lemniadum lege cogeretur emittere (ut placet aliquibus) in Chium ad auum nutriendos iuſſit offerri. Ex quo cognito quod ſeruato patre decepiſſet reliquas, in eam concurſum eſt, & uix conſcenſa naui à furore ſeruata publico, dum patrem natosq; quæreret, & a pyratis capta, & in ſeruitutem deducta eſt. Varijsq; exantlatis laboribus Lycurgo Nemeæ quę in Arcadia regi, dono data, curam Opheltis paruuli & unici Lycurgi filij ſuſcepit. Cui dũ uacaret obſequio, tranſeunti, atque propter æſtum ſiti periclitanti, Adraſti Argiuorum regis exercitui in Thebas eunti, rogata, Langiam fontem oſtendit, relicto in pratis inter flores alumno. Verum dũ percũctanti Adraſto pręteritos exponeret caſus, ab Eunoa & Thoante adultis filijs, & ſub rege militantibus cognita, atq; in ſpem fortunæ melioris erecta, ludentem inter herbas alumnũ, cũ uerbere caudæ ſerpentis cõperiſſet occiſum, ferè plangoribus totũ turbauit exercitũ, à quo natisq; furenti ob dolorẽ Lycurgo ſubacta incognito mihi euentui mortiq;, ſeruata eſt.

DE MEDEA REGINA COLCHOrum. Caput xvi.

Quid referam Peliæ natas pietate nocentes?
   Cæſaq; virginea membra paterna manu?
Dum ferrum, flammæq; aderunt, ſuccusq; ueneni,
   Hoſtis Medeæ nullus inultus erit.

MEdea sæuissimum veteris perfidię documentum, Oëte filij Persæ clarissimi regis Colchorum & Hypseę coniugis filia fuit, formosa satis, et maleficiorũ lõge doctissima. Nam (à quocũq; magistro instructa sit) adeo herbarum uires familiares habuit, ut nemo melius: nouitq; cantato carmine turbare cœlum, uentos exantris ciere, tempestates mouere, flumina sistere, uenena conficere, elaboratos ignes ad quodcunque incendium componere & huiusmodi perficere omnia, nec illi (quod longe peius) ab artibus fuit dissonus animus nam his deficientibus, ferro uti arbitrabatur leuissimum. Hæc Iasonem Thessalum eo seculo conspicuum uirtute iuuenem à Pelia patruo, probitati Iasonis insidianti, sub prætextu gloriosissimæ expeditionis missum in Colchos, ad aureum suscipiendum uellus, eiusdem capta præstantia dilexit ardenter, egitque ad eius promerendam graciam, ut orta inter incolas seditione patri suscitaretur bellum, & consequendi uotum Iasoni spacium prę staretur. Quis hoc etiam sensatus arbitraretur homo, quòd ex uno oculorũ intuitu opulentissimi regis exterminium sequeretur? Eo igitur patrato scelere, cum dilecti iuuenis meruisset amplexus, cum eodem secum patriam omnẽ substantiam trahens, clàm fugam arripuit, nec tam grandi facinore contenta in peius trucem diuertit animum, arbitrata quidem Oëtam secuturum profugos, ad eũ sistendum in Thomitania Phasidis insula, per quam secuturo transitus futurus erat, Absyrtum seu Egyaleum puerum fratrem suum, quẽ in hoc secum fugæ comitem traxerat, obtruncari, & eius membra passim per arua dispergi iussit: ut dum sparsa miserabilis recolligeret genitor, eis lachrymas tumulúmque daret, fugientibus interim fugæ spacium cõmodaret. Nec eam fefellerat opinio, sic enim factum est. Tandem cum post errores plurimos in in Thessaliam cum Iasone deuenisset suo: Æsonemq; socerum tam ex reditu nati, quam ex aperta victoria prædaque & illustri coniugio, tanta replebat læticia, ut reuocatus in floridam uideretur ætatem Iasoni paratura regnum, arte sua zizaniam inter natos & Peliam Thessalis fratrem Æsonis seuit, eosq; misere armauit in patrem. Cęterum labentibus annis exosa Iasoni facta, & ab eodem, loco eius, Glauca filia Creontis Corinthiorum regis assumpta: impatiens fremensq; cum multa in Iasonem excogitasset eo, prorupit, ut ingenio suo Glaucam Creontis filiam & Creontem cum regia omne absumeret igne uolatili, & spectante Iasone, quos ex eo susceperat filios trucidaret & auffugeret in Athenas, Vbi Ægeo nupta regi cũ Medum à se denominatum iam filium suscepisset ex eo, & cum frustra Theseum redeuntem tentasset occideret ueneno, tercio fugam arripuit, & cum Iasonis in gratiam redisset unà cum eo omni Thessalia ab Agialeo Peliæ filio pulsi repatriauit in Colchos, senemq; exulem patrem regno restituit. Quid tandem egerit, quo ue sub cœlo seu mortis

genere

genere diem clausit, nec legisse memini, nec audisse. Sed ne omiserim, non omnis oculis præstanda licencia est, eis enim spectantibus, splendores cognoscimus, inuidiam introducimus, concubinas attrahimus omnis eis agentibus excitatur audacia, laudatur formositas, damnatur squalor & paupertas indigne. Et cum indocti sint iudices, & superficiebus rerum tantum modo credant, sacris ignominosa, ficta ueris & anxia lætis persæpe præficiunt, & dum abijcienda commendant, & breui blandientia tractu, inficiunt nonnunquam animos turpissima labe. Hi nescij à formositate etiam inhonesta, à gesticulationibus lasciuis, à petulantia iuuenili, mordacibus vitijs capiuntur, trahuntur, rapiuntur, tenenturq;. Et cum pectoris ianua sint: per eos menti nuntios mittit libido, per eos cupido insufflat suspiria, & cæcos incendit ignes, per eos emittit cor gemitus, & affectus suos ostendit illecebres. Quos siquis recte saperet, aut clauderet, aut in cœlum erigeret, aut in terram demergeret, nullum illis inter utrunq; tutum iter est: quod si omnino peragendũ sit, acri sunt prohibendi ne lasciuiant freno. Apposuit illis natura fores, non ut in summum clauderentur solum, sed ut obsisterent noxijs. Eos quippe si potens clausisset Medea, aut aliorsum flexisset dum erexit auida in Iasonem, stetisset diutius potentia patris, uita fratris, & suæ uirginitatis decus infractum, quæ omnia horum impudicitia periere.

DE ARACHNE COLOPHONIA muliere. Caput. xvij.



Ter,

Ter, quater, Idmoniæ frontem percussit Arachnes;
Non tulit infelix, laqueoq; animosa ligauit
Guttura: pendentem Pallas miserata leuauit.

ARachnes Asiatica atque plebeïa fœmina Idomonij Colophonij lanarũ tinctoris fuit filia. Quæ quaquam origine minus clara fuerit, nonnullis tamen meritis extollenda est. Asserunt quidam veteres lini vsum eius fuisse inuentum industria, eamq; primam retia excogitasse: aucupatoria seu piscatoria fuerint, incertum. Et cum eius filius cui Closter nomen fuit, fusos lanificio aptos reperisset: arbitrantur quidam hanc texturæ artis, principatũ suo æuo tenuisse, tamque circa hanc grandis ingenij, vt digitis filisq; & spatula et alijs tali officio oportunis, id egisset quod pictor peregisset penicillo. Non equidem in muliere spernendũ officium. Sanè dum non solum Colophonijs cohabitans textrinam habebat, sed ubiq; se famam celebrem audiret, adeo elata est, ut ausa sit aduersus Palladem huius artis repertricem certamen inire: & cum se superari æquo animo ferre non posset, induto laqueo vitam finiuit. Ex quo locus fingẽtibus datus est, nam cũ nomine exercitioq; aranea vermis cum Arachne cõueniat, & filo pendeat, vt ipsa pendebat laqueo, Arachnem miseratione deorum in araneam versam dixere, & assidua cura pristino vacare seruitio. Alij uero dicunt quòd esto laqueum induerit moritura. Non tamen mortuam adiutorio interueniente seruorum, sed artificio posito dolore uacasse. Nunc autem siquis est (obsecro) qui se credat in aliquo anteire cęteros, dicant, si libet Arachne ipsa: an cœlum vertere, & in se dignitates omnes trahere potuisse arbitretur, aut potius, ipsum deum rerũ factorem omniũ, præcibus & meritis sic in se benignum fecisse, ut adaperto munificentiæ suæ sinu in illam gratias effundere cunctas coëgerit omissis cæteris? Sed quid quęro, sic & hæc arbitrata videtur? Stultissimum Hercle, uertit æterna lege natura cœlum, & apta uarijs rebus ingenia cunctis præbet: hæc prout otio atq; desidia torpentia, sic studijs & exercitio luculenta & maximarum rerũ capacia fiunt. Et eadem impellente natura in rerũ omniũ noticiam desiderio uehimur, esto non eadem solertia uel fortuna: Et si sic est, quid obstat quin multi possint eodem iure pares effici, & ob id quemquã se solũ existimare inter tam innumerabilem mortaliũ multitudinem cursu preualere cæteris ad gloriam; stolidę mentis est. Optarem quippe ut Arachnes vnica, huius vanitatis nobis ridiculum præberet, cum sint innumeri tanta illaqueati dementia, qui dum se in præcipitium stolidæ præsumptionis efferunt, Arachnem minus irridendam faciunt.

¶ DE ORI-

DE ORITHYA ET ANTIOPE REginis Amazonum. Caput xviij.

En Boreas precibus mauult, quàm uiribus uti,
Orithyiam adamans, fuluis complectitur alis,
Dilectaq́ diu caruit Deus Orithyia.

ORithyia Marthesiæ fuit filia, & unà cum Antiope, quam quidam sororem existimant suam, post Marthesiam Amazonum regina fuit, & ante alia virginitate perpetua insignis & cõmendanda plurimũ, tantum cũ consorte regni Antiope bellis valuit, ut multis Amazonum imperium, honoribus ampliauerit: & adeò militaris disciplinæ suas laudes extulit, vt arbitraretur Eurysteus Mycenarum rex, durum posse bello eius obtineri baltheum. Et ob id aiunt debitori Herculi tanquam maximum in iunctum, ut illud auferret eidem. Eximia quippe mulieri gloria est, sibi ob splendidam armorum uirtutem obiectum Herculem cuncta superantem. Cuius expeditionem cum intrasset, & nouem longis nauibus Amazonum occupasset littus, absente Orithyia in tumultuantes Amazones, ob paucitatem & incuriam, de se facile victoriam præbuere, captæq́ Menalippe & Hyppolite sorores Antiopæ, dato reginæ Baltheo, Menalippe restituta est. Verum cum asportasse Hippolyten Theseum expeditionis socium audisset Orithyia, in Græciã omnem conuocatis, auxilijs bellum mouere ausa est: sed ob dissensionem ab auxilijs relicta, ab Atheniensibus superata in regnum redijt, nec quid egerit ulterius inuenisse recordor.

DE ERYTHRÆA SEV ERIPHILA Sibylla. Caput xix.

Tempus erit longum, quia iam mihi sæcula septem
Acta vides, numeros superest ut pulueris æquem,
Voce adeò noscar, vocem mihi fata relinquent,
Hæc Christum cecinit, Christo partamq́ salutem.

Erythræa



ERythræa seu Eriphila mulier ex Sibyllis una, & insignis plurimũ fuit. Quas quidem Sibyllas decem fuisse numero quidam putant, eásque proprijs designant nominibus. Et quoniam plurimum vaticinio ualuere omnes: & quod diuina consilia nossent, sic illas cognominant. Nam Aeoli σιους deos uocant, & βουλὴ consilium deorum Latine sonat. Et ideo Sibyllæ quasi mentis diuinæ, seu mente deum gerentes: Ex quibus uenerabilibus omnibus hanc fuisse celeberrimam referunt, & eius apud Babylonios aliquandiu ante Troianum bellum fuisse originem, ast nonnulli eam Romuli Romanorum regis tempore vaticinatã putant. Huius ut quidam dicunt nomen fuit Eriphila, sed Erythręa ideò nominata, quia apud Erythręã insulam diu morata sit, & ibidẽ plurima eius carmina sint cõperta. Fuit igitur tanta vis eius ingenij, aut orationis, aut deuotionis meritũ in conspectu dei, vt uigili studio, non absq; diuino munere meruerit (si uerũ sit ab ea dictũ qđ legitur) futura tanta claritate describere, ut Euangelium potius quam uaticiniũ uideatur. Hæc quidẽ percunctantibus græcis, tam perlucidè suos labores & Ilij excidiũ descripsit carmine, ut nil post factum, quã ante nosceretur clarius. Sic et Romanorũ imperiũ, casusq; uarios paucis versibus cõplexa est, longe ante eius initiũ, vt nostro seculo breuem potius Epitomẽ scripsisse uideat̃ quã prædixisse futurum: Et homo quod longe maius (meo iudicio) est arcanum diuinæ mentis, nec non per figuras ueterũ & implicita prophetarũ, imò sancti spiritus, per prophetię uerba p̃dictũ aperuit incarnandi uerbi mysteriũ iã nati uitam & opera, proditionẽ, capturã, illusiones, & inhonestam mortẽ, resurrectionisq; triumphũ, & ascensionem, & ad extremum iudicium reditum, ut historiam dictasse non venturos prædixisse actus appareat. Quibus meritis

& dilectissimam deo fuisse arbitror, & præ cæteris gentilium mulieribus venerandam. Sunt qui asserunt insuper eam virginitate perpetua floruisse, quod ego facile credam, non enim in cõtagioso pectore, tanta futurorum lux effulsisse potuisset. Quo tempore seu qua in parte decesserit abolitum est.

DE MEDVSA FILIA PHORCYS Caput xx.

Squalebant latè Phorcynidos arua Medusæ,
Non nemorum protecta coma, non mollia sulco
Sed dominæ vultu conspectis aspera saxis.

MEdusa Phorcys ditissimi regis hęres fuit & filia, eiq; opulentissimũ regnum extitit Atlantico mari: quod Hesperidas fuisse insulas nonnulli credidere. Hæc (si vetustati fidem præstare possimus) tam admirandæ fuit puchritudinis, ut non solum excederet cæteras, sed quasi quoddam, præter naturam mirabile, quam plurimos ad se videndam excitaret homines. Fuit quidem illi capillitium aureum & numerosum, faciei decus præcipuum, & digna proceritate corpus elatum. Sed inter cætera tam grandis ac placidus oculorum illi fuit vigor, ut quos benigne respiceret, ferè immobiles & sui nescios redderet. Præterea nonnulli eam agriculationis fuisse peritissimam asserunt: eamq; inde Gorgonis consecutam cognomen, cuius opere mira cum sagacitate, non solum proprias seruauit diuitias, sed immensum auxit: adeo ut qui nouere, crederent iam occiduos quoscunq; reges anteiret thesauris. Et sic tam pulchritudine eximia, quã etiam opulentia & sagacitate in amplissimam famam apud remotas etiam nationes euasit. Verum celebri rumore ad Argiuos quoq; delata est, quos inter, Perseus, iuuentutis Achiuę florentissimus, audito talium relatu, in desiderium incidit & uidendi speciosissimam fœminam, & occupandi thesauros: & sic naui conscensa cui Pegasus equus erat insigne, in occasum celeritate mirabili deuectus est, ibiq; prudentia usus & armis reginam occupauit, & auro & opima onustus præda remeauit ad suos. Ex his locum sibi poëtica adinuenit fictio, qua legimus Medusam Gorgonẽ assuetam saxeos facere quos inspiceret, eiusq; crines versos in angues ira Mineruæ, eo quòd templum eius Neptuni concubitu vitiasset peperissetq; Pegasum, & Perseum equo insidentem alato, eius in regnum euolasse, Pallanteiq; Ægidis vsa superasse. Infelix auri possessio, quod si lateat possessori nullius commodi est, si fulgeat mille concupiscentium nascuntur insidiæ, &

sistent

ſiſtent violentorum manus, nõ ceſſant poſſidentis anxiæ curę, fugatur enim quies animi, ſubtrahitur ſomnus, timor ingeritur, fides minuitur, augetur ſuſpicio, & omnis breuiter uitæ vſus impeditur miſero. Si vero caſu quocunq; pereat anxietatibus excarnificat̃ pauper factus, auarus laudat, liberalis ridet, inuidus conſolatur, inops & omne vulgus dolentis canit in fabulam.

DE IOLE ÆTHOLORVM REgis filia. Caput xxi.

Eurytidos Ioles atque inſani Alcida,
Turpia formoſus corpora iungit hymen.
Craſſaq; robuſto deducit pollice fila,
Æquaq; formoſam penſa rependit heræ.

IOlen Euryti regis Ætholiæ filiam ſpecioſiſſimam inter cæteras regionis illius virginem, ſunt qui aſſerunt amatam ab Hercule orbis domitore. Cuius nuptias cum illi Eurytus ſpopondiſset aiunt poſcenti, ſuaſione filij, poſtea denegaſſe. Quamobrem iratus Hercules acre bellum mouit eidem, eumq; interemit prouincia capta, & dilectiſſimam ſibi Iolem ſurripuit. Quæ quidem magis paternæ cædis affecta quàm ſponſi dilectione, vindictę auida mirabili atq; conſtanti aſtutia, quem gereret animum ficto amore contexit: & blandicijs atq; artificioſa quadam petulantia in tam feruentem ſui dilectionem Herculem traxit, ut ſatis aduerteret nil eum negaturum quod poſceret. At inde quaſi horreret tam hiſpidum habitu amantem, acri uiro ante alia ponere clauam, qua monſtra domuerat imperauit: Nemei leonis ſpolium ſuæ fortitudinis inſigne ponere, populeum ſertum pharetras ſagittasq; fecit. Quæ cum non ſatis animo ſufficerent ſuo, audatius in hoſtem inermem præcogitatis telis inſiluit. Et primo digitos annulis ornari præcepit, caput aſperſum vnguentis Cypricis deliniri, et hirſutos pectine diſcriminari crines, ac hiſpidam ungi nardo barbam, & puellaribus corollis & Męonia etiam inſigniri mitra. In purpureos amictus mollesq; ueſtes præcepit induere, exiſtimans iuuencula, fraudibus armata, longe plus decoris tam robuſtum hominem effœminaſſe laſciuijs quam gladio uel aconitis occidiſse. Porrò cum nec his ſatis ſuæ indignationi ſatisfactum arbitraretur, in id egit molliciei deditum: vt etiam inter mulierculas, fœmineo ritu ſedens, fabellas laborum ſuorum narraret, & penſis à ſe ſuſceptis lanam colo neret, digitosq; quos ad extinguendos in cunis adhuc infans angues durauerat, inualida iam imò profecta ętate ad extenuanda fila molliret. Equidem humanę imbecillitatis & muliebri-

um astutiarum, non minimum intueri uolentibus, argumentum est. Hac igitur animaduersione artificiosa iuuenis, cum perpetua in Herculem ignominiæ nota, patris mortem non armis sed dolis & lasciuia ulta est, & se ęterno dignam nomine fecit. Nam quotquot ex quibuscunque monstris Eurysteo triumphos uictoriosos egit Alcides, ex tot uictrix ipsius Ioles gloriosius triũphauit. Consueuit pestifera hæc passio delitiosas subire puellas & lasciuos otiososq; persæpe occupare iuuenes, cũ grauitatis Cupido sit spretor, & mollicíei cultor eximius, & ob id intrasse per durum Herculis pectus, longe maius monstrum est, quam quæ sæpe domuerat ipse, fuerunt. Quod non modicum salutis suæ solicitis debet iniecisse timoris & corporis etiam excussisse, cum pateat quàm validus, quam potens hostis immineat. Vigilandum igitur est & robore plurimo nobis armanda sunt corda, non enim inuitis incumbet. Obstandũ est ergo principijs, frenandi sunt oculi, ne videant vanitates, obstruendę sunt more aspidis aures, laboribus assiduis est premenda lasciuia, blandus quippe incautis sese offert, & placidus intuitu primo, & si recipiatur spe læta primo delectat ingressu, suadet ornatus corporum, mores cõpositos, facetias vrbicas, choræas, cantus, & carmina, ludos, & comessationes atque similia. Postquam uero à probatione stolida totũ occupauerit hominem & libertate subacta mentibus cathenis iniectis & vinculis, differentibus præter spem votis suspiria excitat, premit in artes ingenia, nullum discrimen faciens inter virtutes & vitia, dũmodo consequatur optatũ, in numero ponens hostiũ, quæcunque obstantia, hinc exurentibus flammis infelicium pectora, itur rediturq; & ambitu indefesso, res amata perquiritur & exiterato sæpius uisu semper noua contrahuntur incendia, & cum non sit pœnitentiæ locus, itur in lachrymas, dictantur preces mellitis delinitæ blanditijs, instruuntur lenæ, pro mittuntur munera, donatur, proijcitur, & nonnunquam falluntur custodes, & septa vigilijs capiuntur corda, et in concupitos quandoq; deuenitur amplexus, tunc pudoris hostis & sceleris suasor rubore & honestate fugatis, parato volutabro porcis, grunnientes effundit illecebras coitus. Tunc sobrietate reiecta, Cerere & Baccho feruens aduocatur Venus, noctesq; totæ spurcido cõsumuntur in luxu. Nec ob id semper furor extinguitur iste, quinimò persæpe in ampliorem insaniam augeretur. Ex quo fit ut inobedientiam illam detestabilem, Alcides corruat, obliuiscantur honores, effundãtur substantiæ, armentur odia, & uitæ sępissime subeantur pericula, nec carent ista doloribus, interueniunt rixę, & paces tenues, rursum suspitiones & zelus animorum consumptor & corporum. Ast si minus deueuitur in votum, tũ amor rationis inops additus uirgæ calcaribus exaggerat curas, desideria cumulat, dolores ferè intollerabiles infert, nullo nisi lachrymis & querelis, & morte nonnunquam curandos,

randos, remedio adhibentur aniculæ, consuluntur Chaldæi, herbarum atque carminum & maleficorum experiuntur uires, blanditiæ vertuntur in minas paratur violentia, damnatur frustrata dilectio, nec deest quin aliquando tantum furoris ingerat malorum artifex iste, vt miseros in laqueos inpingat & gladios. O quàm dulcis quàm suauis hic amor, quem cum horrere, ac fugere debeamus in deum, extollimus & illum colimus, illum supplices exoramus, & sacrum ex suspirijs lachrymisq́ conficimus, stupra adulteria incœstusq́ offerimus & obscœnitatum nostrarum coronas immittimus.

DE DEIANIRA OENEI ÆTHOlorum regis filia. Caput xxij.

Nomine si qua suo tandem peruenit ad auros,
Deianira tuas, quondam pulcherrima virgo,
Multorumq́ fuit spes inuidiosa procorum.
Nessus, vt est auidum percussus arundine pectus,
Hic dixit uires sanguis Amoris habet.

DEianira Oenei Æthololorum regis (vt quidam asserunt) fuit filia & Meleagri soror, tanta insignis formositate uirgo, ut ob eius nuptias consequendas certamen inter Acheloum & Herculem oriretur. Quæ cum uictori cessisset Herculi, à Nesso Centauro adamata est, & cum illam Hercules è Calydonia transferret in patriam, ab Ebeno Calydoniæ fluuio ab imbre pridiano turgido moratus, obuium habuit amantem Nessum, se quia eques esset ad transportandam Deianiram ultro Herculi obsequiosum præbentem. Cui cum concessisset Hercules, nataturus post coniugem, ipse quasi uoto potitus, cū transuadasset fluuiū, cum dilecta, fugam arripuit, quem cū non posset pedibus Hercules consequi, sagitta lernęa, infecta tabe fugientem attigit. Quod sentiens Nessus seq́ moriturū arbitratus, uestem sanguine suo infectam confestim Deianiræ tradidit, asserens, sic cruentam si induat eam Herculi, ipsam posse eū ab omni alieno amore in suū amorem retrahere, quam Deianira credula, loco prægrandis muneris sumens, clàm aliquandiu seruatam, Herculi Omphalem seu Iolem amanti, per Lycham seruulum caute transmisit. Ipse autem quū sudore cruorem cum ueneno infectum resoluisset, porisq́ bibisset, uersus in rabiem se igni conburendū, ultro concessit, & sic Deianira tanto uiduata uiro, dum retrahere speraret perdidit, & Nesso uindictam etiam expiauit.

DE IOCASTA THEBARVM regina. Caput xxiij.

Nec plus aſpicias, quàm quem ſua filia rexit,
Expertus ſcelus eſt, cuius vterq; parens.
Qualis erat poſtquam eſt iudex de lite iocoſa
Sumptus, Apollinea clarus in arte ſenex.

IOcaſta Thebarum regina fuit magis infortunio ſuo clara quam meritis, aut regno. Hæc quidem cum à primis Thebarum conditoribus originem duceret ſplendidam, virgo, nupſit Laio, Thebanorum regi, ex quo cum concepiſſet filium, ob aduerſum Laio reſponſum ex oraculo ſumptum, natũ iuſſa feris obijciendum, ęgra tradidit, quem cum è ueſtigio deuoratum exiſtimaſſet apud Corinthiorum regem pro filio educatum, atq; iam ætate profectum, occiſo ab eodem apud Phocenſes Laio, uidua incognitum ſumpſit in coniugem, & ex eo Ethioclem & Pollynicem filios & totidem fœminas Iſmenam ſcilicet & Antigonam peperit filias. Et cum iam tam regno quam prole videretur felix, deorũ reſponſo quem legitimũ arbitrabatur virũ eum eſſe filium nouit. Quod & ſi ipſa ferret ęgerrime, ægrius tamen ille: adeo vt dũ ruborẽ patrari ſceleris ęternam cuperet noctẽ, oculos effoſſos abiecit & regnũ. Quod diſcordes aſſumentes filij, in bellũ fractis fœderibus Venere, & ſi grandi Iocaſtæ triſticia ſæpe aduerſus ſe in certamen deſcenderent, maximo eos decertantes duello mutuis vulneribus occiſos accepit. Cuius doloris impatiens miſera mater & auia, eſto, Creontem fratrem iam regem cerneret & orbum filium, uirumq; captiuum, & Iſmenam Antigonamq; filias, labenti fortunæ implicitas reluctantem feſſamq; malis animam, ferro iam anus expulit, & anxietates cum vita finiuit. Sunt tamen qui uelint eam tam diu noxios errores ſuos ferre non potuiſſe, quinimò cum vidiſſet Oedipum oculos eijcientem illico in ſe ſæuiſſe.

DE AMALTHEA SEV DEIPHOBE Sibylla. Caput xxiiij.

Nais Amalthea Cretæa nobilis Ida,
Dicitur in ſyluis occuluiſſe Iouem.
Hinc fuit hœdorum mater formoſa duorum,
Inter dictæos conſpicienda greges:

Amalthea

AMalthea virgo quam quidam Deiphoben Glauci filiam vocant. Ex Cumis Calcidensium Campaniæ veteri oppido origine duxisse creditur. Et cum ex Sibyllis extiterit una, Troianæ desolationis tempore floruisse, atque in tam longũ deuenisse æuũ, vt ad Prisci Tarquinij Romanorum regis usq; tempus deuenerit arbitrantur aliqui. Fuit huic antiquorum testimonio tanta uirginitas, ut tot seculorum spacio, nulla uiri cõtagione fœdari passa sit. Et quanquam poëtarum litteræ testentur, hanc à Phebo dilectam & eius munere & longæuos annos & diuinitatem obtinuisse. Ego quidem reor uirginitatis merito eam ab ipso uero sole, qui illuminat omnem hominem uenientẽ in hunc mundũ, uaticinij suscepisse lumen, quo multa prædixit scripsitq; futura. Hinc insuper Baiano littore secus, Auerni lacum dicunt insigne fuisse oraculũ, quod quidem et ego uidi, audiuiq;, quòd seruet ab ea cognomen usque in diem hodiernum. Quod & si corrosum sit vetustate plurima & incuria semirutum, etiam sic in ruinis maiestatem seruat ueterem, & admirationem præstat ad huc intuenti magnitudinis suæ. Sunt præterea qui dicant eam, Æneæ profugo ducatum ad inferos præstitisse, quod ego nõ credo, Sed de hoc aliàs. Qui autem illam plura uidisse secula uolunt, asserunt eam uenisse Romam, & Tarquinio Prisco nouem attulisse libros, ex quibus cum negaretur à Tarquinio pretium postulatum, tres eo uidente combussit, & cum die sequenti ex sex reliquis illud idem pretium, quod ante ex nouem petiuerat, postulasset, asseruisset q; ni daretur, tres è uestigio exusturam, quod cum fecisset die sequenti pro reliquis à Tarquinio petitum pretium suscepit. Quos cum seruasset à posteris cõpertum est, eos Romanorum facta omnia continere. Quam ob causam maxima cum diligentia post hæc Romani seruauere, & iuxta opportunitatum exigentia de futuris cõsulturi ad eosdẽ, quasi ad oraculum recurrebant. Mihi quidem durum est credere hanc eandem extitisse cum Deiphobe, Eam tamen apud Siculos clausisse diem legimus, et ibidem diu eius tumulũ ab incolis demonstratum est. Studijs igitur & diuina gratia illustres efficimur, quæ nemini se dignum facienti, denegata sunt, quod si spectaremus, iã nõ, ut fit, desidia torpentes, sentiremus planè quòd tẽpore siue frugi ab utero perdito, etiam annosi morientes, absq; omni decore deferantur in tumulum. Demum si ingenio & dei gratia peruigiles ualent fœminæ ad tantam diuinitatẽ sanctitatemq; prouenire, quid uiris arbitrandũ est? quibus ad omnia promptior est aptitudo: si pellatur ignauia, in ipsam quippe euaderent deitatem. Fleant igitur & tabescant omnes uiri quibus tam grande donum inertia sublatum est, & se inter homines animatos, fateantur lapides, quod fiet dum suũ crimen confitebuntur elingues.

DE NICO-

DE NICOSTRATA SEV CARmenta Ionij regis filia. Caput xxv.

Hoſpita Carmentis fidos intraſſe penates
Diceris, & longam depoſuiſſe famem.
Liba ſua properata manu Tegeæa ſacerdos
Traditur, & ſubito coćta dediſſe foco.

NIcoſtrata cui poſtea Carmenta apud Italos nomen, fuit Ionij regis Arcadum filia. Secundum quoſdam Pallanti Arcado nupſit. Secundum alios nurus eiuſdem fuit, nec regni ſolum fulgore fuit inſignis, quinimo græcarum literarum doćtiſſima, adeo verſatilis fuit ingenij, ut ad uaticinium uſque uigilanti penetraret ſtudio, & uates efficeretur notiſſima. Quæ cum quærentibus, & à ſeipſa nonnunquam exprimeret futura carmine, à Latinis, quaſi primo Nicoſtratæ abolito nomine Carmenta nuncupata eſt. Hæc autem mater fuit Euandri Arcadum regis, quem fabulæ ueterum, ſeu quia eloquens atq; facundus homo, ſeu quia aſtutus fuerit ex Mercurio uolunt fuiſſe conceptum. Qui (ut quidam dicunt) cum caſu eum qui uerus erat pater occidiſſet, ſeu (ut alijs placet) ſeditione ciuium ſuorum alia ex cauſa orta, è regno expulſus auito, ſuadente Carmenta matre & magna uaticinio promittente, ſi has pete et quas oſtenderet ſedes, facta peregrinationis ſocia, conſcenſis nauibus, cum parte populorum uento ſecundo ad oſtia Tyberis ex Peloponeſo deueniens, eadem matre duce, in Pallatino monte quē à Pallante patre, ſeu à Palante filio nominauit, ubi poſtea Roma ingens condita eſt, cū ſuis et matre cōſedit, conſtruxitq; oppidū Pallanteū. Sanè Carmenta cū indigenas, ſore ſylueſtres comperiſſet homines, iſto iam dudum Saturni profugi numem ſegetes didiciſſent ſerere, eosque nullo literarum uſui ſeu modico ex hoc Græco aſſuetos, à longe diuina mente proſpiciens, quanta loco regioniqúe celebritas ſeruaretur impoſterum, indignum rata ut adminiculo exterarū literarum futuris ſeculis ſua monſtrarentur magnalia, in ſtudium iuit, totis ingenij uiribus, proprias & omnino à cæteris nationibus diuerſas literis exhiberet populis, cui ceptui non defuit Deus, ſua enim gratia factum eſt, ut nouis ab ea adinuentis characteribus, ſecundum Italicum Idioma, earum coniunćtiones edoceret, contenta ſedecim duxiſſe figuras uti diu ante Cadmus Thebarum conditor adinuenerat græcis, quas nos in hodiernum uſque literas dicimus, eiusque tenemus munere datas, ſed aliquas & oportune quidem ſapientes addiderunt, ſed nulla ex ueteribus amota. Huius mulieris uaticinium, & ſi plurimum mirati ſint Latij, hoc tamen inuentum adeo mirabile

uiſum

visum est, ut profecto crediderint rudes non hominem, sed potius deam esse Carmentam. Quãobrem cum viuentẽ diuinis celebrassent honoribus, mortuæ sub infima Capitolini mortis parte, ubi uitam duxerat: Sacellũ suo condidere nomini, & ad eius perpetuam memoriam à suo nomine loca adiacentia Carmentalia vocauere. Quod quidem nec Roma iam grandis abolere passa est, quinimò portam ciuitatis quã ibi exigente necessitate ciues construxerant, Carmentalem per multa secula de Carmente nomine vocauere. Multis olim dotibus Italia præ cęteris orbis regionibus florida fuit, & ferè cœlesti luce corusca. Nec tantum suo sub cœlo tam splendidus quęsitus est fulgor, Nam ab Asia opulentia venit, & supellex regia, sanguinis claritas (& si multum addiderint Græci) à Troianis habita, primo Arithmeticam & Geometriam artes dedere Ægyptij, philosophia & eloquentia, & mechanicum opus omne ferè ab eisdem græcis sumptum est. Agriculturam paucis adhuc cognitam, Saturnus intulit exul, deorum infaustus cultus ab Hetrustis & Numa Pompilio habitus, leges publicas Athenæ primo, inde senatus consultus et Cæsares prębuere: sacerdotium summum, religionemq́ꝫ synceram, à Hierosolymis attulit Simon Petrus: disciplinam autẽ militarem veteres ex cogitauere Romani, qua & ac morũ atqꝫ corporũ robore, & in rempublicã charitate integra, orbis totius sibi quæsiuere imperiũ: literarũ characteres satis ex dictis patet, quando maioribus nostris Carmenta concesserit, cũ iam ex Arcadia deuenisset Italiam. Sic & Grãmatice facultatis prima dedisse femina creditur quæ in ampliorẽ segetem successu temporũ prisci traxere. Quibus delinita facultatũ omniũ infinita splendent volumnia, hominũ gesta deiqꝫ magnalia, perpetua seruantur memoria, vt quæ vidisse nequiuimus, ipsi eis opitulantibus cognoscamus. His uota nostra transmittimus, & aliena cũ fide suscipimus. His amicitias in longinquo iungimus, & mutuis responsionibus conseruamus. Hæ Deum (prout fieri potest) nobis describunt, hæ cœlum, terrasq́ꝫ maria, & animantia cuncta designant, nec est, quod quæras possibile, quod ab his vigilans non possis percipere. Harum breuiter opere quicquid amplitudine mentis complecti ac teneri non potest, fidissimæ cõmendatur custodiæ. Quæ tamen & si alijs literis & linguis, ex his nõnulla contingant, nil tamen nostris cõmendabile aufertur, cæterum ex tot egregijs dotibus quędã perdidimus, quędam addidimus & nõnulla adhuc ferè nomine potius quam effectu tenemus. Verũ quomodocunqꝫ de cæteris, nostro an crimine, aut fortuna actũ sit, nec Germana rapacitas, nec Gallicus furor, nec astutia Anglica, nec Hispana ferocitas, nec alicuius alterius nationis inculta barbaries uel insultus, hanc tam grandem, tam spectabilem, tam opportunam, Latino nomini

gloriam

gloriam surripuisse potuit vnquam: vt sui scilicet iuris, prima literarũ possent aut auderent dicere Elementa, & longeminus suum compertũ & inuentum fuisse Grãmaticam. Quas uti comperimus ipsi, sic etiam dedimus ultro, nostro tamen semper insignita vocabulo, vnde fit ut quanto longius feruntur, tanto magis Latini nominis ampliantur laudes & honores clariusq́ vetutissimi decoris nobilitatis & ingenij testimonium referunt, & incorruptum nostræ perspicacitatis seruant, etiam indignante nobis barbarie argumentum. Cuius tam eximij fulgoris, & si deo datori gratias agere debeamus, multum tamen laudis & charitatis & fidei Carmentæ debemus. Quamobrem, ne à quoquam tanquam ingrati, iure redargui possimus, ut illud pro uiribus in æternam memoriam offeramus pijssimum est.

DE PROCRI CEPHALI CONIVGE.

Caput xxvi.

Ouidi.

Nec cito credideris, quantum cito credere lædat,
Exemplum uobis non leue Procris erit.
Procris, ut accepit nomen, quasi pellicis Auræ
Excidit, & subito mota dolore fuit.

PRocris Pandionis Athenarum regis nata, & Cephalo Æoli regis filiá nupta, quemadmodum auaritia pudicis matronis exosá est, sic & uiris accepta, quoniã per eam cæterarum mulierũ uitium apertum sit. Nam cum lęto pioq́ amore uir & uxor uiuentes gauderent, eorum infortunio factũ est, ut desiderio Cephali caperetur Aura, seu potius Aurora, quædam (ut placet aliquibus) spectandæ pulchritudinis mulier, quem cupidine Procris suæ detentum, aliquandiu frustra in suam sententiã trahere conata est, propter quod inquit indignans, penitebit te Cephale, adeo feruide dilexisse Procrim: comperies, faxo si sit qui tentet eam, Aurum amori præposuisse tuo. Quod audiens iuuenis, experiri auidus, peregrinationem longinquam fingens abijt, flexoq́ in patriam gradu, per intermediũ, muneribus constãtiam tentauit vxoris, quæ quantumcunq́ grandia sponderentur, impetu primo mouisse nequęuere, Eo tandem perseuerante & iocalia agente, ad ultimũ hęsitantẽ flexit animum illiq́, nox optatiq́ amplexus, si detur sponsum Aurum, promissi sunt. Tunc Cephalus mœrore contristatus apparuit, quoniã dolo friuolũ Procris amorem intercepisset, quæ rubore conspersa & conscientia impulsa facinoris, confestim in syluas abijt, & se solitudini dedit. Iuuenis autem amoris impatiens vltro uenia data, præcibus aspernantẽ reuocauit in gratiam. Sed quid

refert?

refert? Nullę sunt indulgentiæ uires aduersus conscientiæ morsus, agebatur Procris in varios animi motus, & Zelo partita, ne fortè id in se blanditiis Auroræ uir ageret, quod ipsa in illum auro mercata fuerat, clàm per scopulos, & abrupta montium iuga ualliumq́ secreta uenatorē persequi cœpit, quod peragens contigit, dum inter uallium herbida, calamosq́ palustres latitans moueretur Procris, credita à viro belua, sagitta confossa periit. Ignoro (quid dixerim potius) an nil esset potentius auro in terris, aut stolidius quærere quod comperisse non uelis. Quorum dum utrumque insipiens mulier approbat, sibi indebilem notam & mortem inuenit, quàm minime inquirebat, Sed (vt auri immoderatum desiderium sinam quo stolidi ferè trahuntur omnes) quęso quid tam obstinato Zelo correpti dicant: quid inde sibi emolumenti sentiant? quid decoris? quid laudis aut gloriæ consequantur? Meo quippe iudicio hæc ridicula mentis est ægritudo à pusillanimitate patientis originem ducens, cum nō alibi viderimus quam hos penes, qui se adeo deiectę virtutis existimant, ut facile sibi quoscunq; præponendos fore concedant.

DE ARGIA ADRASTI REgis filia. Caput xxvij.

Ecce pium pectus, ueræ pietatis & index,
Cæditur infœlix Argia, Creonte tyranno,
Corpus humo tradens, busta inter & ante mariti.

ARgia Græca mulier ab antiquis Argiuorum regibus generosam ducens originem Adrasti regis filia fuit, & spectabili pulchritudine sua, vti de se cum temporaneis lætum spectaculum prębuit, sic & posteris integerrimum atq; præclarum coniugalis amoris testimonium perenne reliquit: ob quod in nostros usque dies nomen eius fulgidum præcipua coruscatione deuenit. Hæc igitur nupta Pollyniti filio Oedipi Thebarum regis & exuli, cū iam ex illo Thessandrum peperisset filium, aduertens patrem ob fratris fraudem mordacibus agitari curis, facta anxietatum particeps, patrem iam senem non solum consolata & exorauit lachrymis precibusq́, verum etiam armauit in Ethioclem præter pactionem leges cum fratre, Thebanum regnum occupantem tyrannice, & ne fatali responsum detrimentum susciperet. Eurydici Amphiorai vatis coniugi, præter naturam fœmineam liberalis effecta, pręciosum illud monile, Thebanis olim matronis infaustum, vltro contulit, ex quo latitans patefactus Amphioraus in Thebas itum est, sed infelici omine.

Nam post plurimam certaminum stragem cæteris interfectis ducibus & Adrasto auxilijs nudato atq; semifugato, cum inter cætera sordidi vulgi cæsiq; cadauera Pollynicis corpus insepultum iacere anxia cõiunx audisset, ex templo regio abiecto splendore & mollitie thalami, atq; debilitate fœminei sexus seposita, paucis comitantibus arripuit iter in castra, nec eam terruerunt insidiantium itinera, manus impiæ, non feræ, non aues occisorum hominũ sequentes corpora, non circumuolantes (vt arbitrantur stolidi) cæsorũ manes nec (quod terribilius videbatur) Creontis imperantis edictũ, quo cauebatur pœna capitalis supplicij, ne quis cuiquã occisorũ funebre præstaret officiũ, quando ardenti mœstoq; animo nocte media certaminis areã intrans, cæsorũ atq; tetro odore redolentia corpora, nunc hæc, nunc illa deuolueret, vt parue facis auxilio, ora tabentia dilectissimi uiri cognosceret, nec ante destitit quã qđ quęrebat inuenerit. O mirũ semesa iam facies armorũ rubigine, squalore oppleta puluereo, & marcido iã cruore respersa, nulli iam Edepol cognoscenda amantissime coniugi occultari non potuit, nec infecti vultus sordes, vxoris amouere potuerit oscula, non voces, non lachrymas, non ingens Creontis imperiũ, nam cũ sæpe vitalem spiritum per oris oscula exquisisset, lauisset lachrymis fetidos artus & sæpe vocibus in suos amplexus reuocasset exanimem, flãmis iã flagrantibus (ne quid pij officij obmissum linqueret) tradidit, consumptũq; vrna condidit, nec igne patefacto pio facinore, seueri regis subire gladium & cathenas expiauit. Fleuere persæpe plurimæ virorum ægritudines, carceres, paupertatem, & infortunia multa, stante tamen spe mitioris fortunæ, & amoto seuerioris pauore, quod et si laudabile videatur, extremum tamen dilectionis indicium dici non potest, ut Argię dici obsequia potuere. Hæc hostiles petijt agros dum flere posset in patria fœtidum tractauit cadauer, quod iniunxisse poterat alijs, flammis regiũ impendit honorem, dum clàm infodisse qualitate temporis inspecta satis erat. Vlulatus emisit fœmineos ubi poterat transire tacita, nec quod speraret habebat ex occiso exule cum quid timeret adesset ab hoste: Sic amor uerus, sic fides integra, sic coniugij sanctitas, & illibata castitas suasisse potuere. Quo merito laudanda colenda & splendido extollenda præconio uenit Argia.

DE MANTHONE TYRESIÆ filia. Caput xxviij.

Patidica Manthus, & thusci filius amnis
Qui muros, matrisq; dedit tibi Mantua nomen.

Mantho

MAntho Thiresiæ maximi Thebanorum uatis filia tempore Oedipi regis filiorumq́ꝫ fuit insignis. Hæc quidem sub patre magistro tam prompti atqꝫ capacis fuit ingenij: vt Pyromantiam uetustissimum Chaldęorum (seu ut uolunt alij) Nembroth inuentum adeo egregie disceret, ut ęuo suo nemo melius flammarum motus, colores & murmura, quibus (ne scio quo diabolico opere) futurorum dicunt demonstrationes inesse, cognosceret. Præterea fibras pecudum & taurorum iecinora, & quorumcunqꝫ animalium exta, perspicaci cognouit intuitu, traxitq́ꝫ sæpissime (ut creditum est) suis artibus spiritus inmundos & inferorum manes coëgit in uoces, & responsa dare quærentibus. Sanè cum iam bello cecidissent Argiui reges, qui Thebas obsiderant, occupassetq́ꝫ Creon ciuitatis imperium. Hæc (ut placet aliquibus) regem nouum fugiens secessit in Asiam, ibiq́ꝫ Darij Apollinis fanum, postea celeberrimum diuinitate instituit, & Mopsum inclytum sui seculi uatem (esto ex quo conceptum non prodat antiquitas) peperit. Alij aliter sentiunt dicuntq́ꝫ eam cum cõplicibus quibusdã suis post Thebannm bellum errasse diu, & tandem in Italiam deuenisse. Ibiq́ꝫ Thyberino iunctam cuidam, concepisse ex eo & peperisse filium quem Citheonum dixere, à quibusdam Bianorem etiam uocitatum, & inde cum prole in Cisalpinam Galliam transiuisse, ubi cum palustria loca Benaco contermina lacui comperisset, sui natura munita, seu ut suis cantationibus posset uacare liberius, seu uitę residuum securius ducere, media in palude insuper eminente aquis solo posuisse sedem, & ibidem post tempus mortuam atqꝫ sepultam, circa cuius tumulũ aiunt Citheonum ciuitatem suis constituisse, eamq́ꝫ de matris nomine Manthuam vocitasse. Quidam uero arbitrati sunt eam in mortem usqꝫ, constanti proposito virginitatem seruasse, floridum quippe atqꝫ sactissimum opus & laudabile plurimum, ni illud nefastis suis labefactasset artibus: deoq́ꝫ vota cui dicanda est virginitatem seruasset.

DE CONIVGIBVS MENIArum. Caput xxi.

Ecce pium facinus Meniarum, & dulce sororum,
Quæ eripuere suos gemebunda voce maritos,
Carcere detentos, malè quos agitare solebat
Ambitiosa fames regni, turpisq́ꝫ libido.

MEniarum vxorum numerus ac nomina, ſeu Coquorum ſcribentium deſidia; ſeu annoſitatis vitio nobis ſubtracta ſunt. Equidem indignæ ſilentio præteriri, cum non vulgari facinore meruerint in præcipuam efferri gloriam. Sed poſtquã inuidenti fortunæ ſic uiſum eſt, qua poterimus arte ornabimus innominatas digno præconio, easq́ꝫ pro uiribus in memoriã poſteritatis educere tanquam bene meritas conabimur. Meniæ igitur fuere ex Iaſonis atqꝫ Argonautarum ſocijs non minimæ nobilitatis ſplendidiſſimi iuuenes, qui cum peracta expeditione Colchica, redijſſent in Græciam, veteri relicto ſolo apud Lacedæmones ſibi elegere ſedes. Quibus non ſolũ à Lacedæmonijs amicabiliter conceſſa ciuitas eſt, uerum inter patres & Reipublicæ præſidentes aſſumpti ſunt, cuius tam ſplendidę munificentiæ ſucceſſores minus memores, libertatẽ publicã ignominoſę ſeruituti uelle ſubigere auſi ſunt. Erant enim à tempeſtate opulenti iuuenes, nec ſolũ ſuo fulgore perlucidi, uerum & generoſum Lacedæmoniorum affinitatibus ſepti gemina fulgebant luce. Nam inter alia erant eis ſpecioſiſſimæ coniuges à nobiliſſimis ciuibus ducentes originem, non Ædepol pars ultima mundani decoris, cui & clientelæ addebantur ingentes, ex quibus non gratiam modo publicæ patriæ felicitati referre neglexere, ſed ſuis adſcribentes meritis, eo ſe fatuitatis permiſere euehi, ut cæteris ſe præferendos fore exiſtimarent: ex quo in cupidinem corruere imperij, & hinc ad occupandã rempublicã temere conatus expoſuere ſuos, quã ob cauſam detecto crimine, capti carceriq́ꝫ traditi et capitali ſupplicio tãquam patriæ hoſtes damnati ſunt auctoritate publica. Et dum nocte ſequenti Lacedęmonũ ueteri more deberet illis à carnificibus mors inferri, mœſtę flentesq́ꝫ coniuges pro deliberatione damnatorũ inauditũ iniuere conſilium, nec cogitato diſtulere operam dare. Squalidis igitur ueſtimentis uelatoq́ꝫ ore, oppletę lachrymis, cũ iam in noctem occumberet dies, quam nobiles eſſent fœminæ intrandi carcerem perituros uiſuræ uiros, facile à cuſtodibus obtinuere licentiam. Ad quos cum deueniſſent, non tempus conſumpſere lachrymis & ploratu, ſed repente explicato conſilio, cum uiris mutatis ueſtibus uelatisq́ꝫ illis fœmineo ritu faciebus, flentes deiectis in terram oculis fingentesq́ꝫ mœſticiam, noctis etiam ſuffragantibus tenebris & reuerentia nobilibus fœminis debita, deceptis cuſtodibus morituros emiſere. Ipſis damnatorum loco remanentibus, nec ante fraus comperta eſt, quam uenientibus ſuppliciorum miniſtris, ut damnatos in mortem educerent pro uiris fœminæ compertæ ſint. Grandis profecto mulierum fides & egregius amor. Sed ſinamus fraudis in cuſtodes ludibrium, ſalutem damnatis exhibitam, quid patribus uiſum ſit, & quid inde ſecutum, ſacri coniugalis amoris uires & audaciam mulierum paululum contemplemur. Inſtituto naturæ, veteri

indiſſolu-

indissolubili nexu firmato, nonnulli uolunt dissidentium coniugum, nullum fore pernitiosius odium, sic & conuenientium amori concedere cæteros. Nam rationis igne succensus non urit ad insaniam, sed in cõplacentiam calefacit, & tanta charitate corda copulat, ut æquè semper cuncta nolint uelintq́, & tam placide assuetus unitati, ad cõtinuationẽ sui nil omittit nil agit tepide uel remisse, & si hostis fortuna sit, vltro labores & pericula subit & vigilãtissimus in salutem meditatur consilia, remedia comperit, & excudit fallacias si exigat indigentia. Hic suauissimus & iam placido conuictu firmatus coniugũ Meniarum tanto feruore impulit animos, vt quas nequissent ante vidisse, periclitantibus viris, ingenij pressis uiribus, decipulas inuenirent, instrumenta pararent, rerum ordinem tempus, rationesq́ agendorum vt oculatos seuerósque custodes deciperent, & sublata sensualitatis nebula aduertentes, quoniam nil honestum pro salute amici omittendum sit, ex intimis cordis latebris excitata pietate, ut uiros periculo eximerent temerario ausu in id irent, ut quos publica damnauerat autoritas pudicus coniugalis amor absolueret, quos carceri mancipará emitteret, quos iam tenere dirum uidebatur & capitale supplicium, è carnificum manu subtractos, securitati uitæq́ donaret. Et quod per maximũ uisum est, lusa legum potestate, decreto publico ac patrum autoritate, & totius ciuitatis uoto frustrato, ut quod optabant implerent, non expauere loco damnatorum, sub deceptorum custodum imperium sese claudere, non Ædepol tam synceram fidem amorem tam integrum admirari sufficio, & ob id ratum habeo si remisse amassent, si tenui fuissent adstrictæ vinculo, cum illis per otiũ domi torpere fas esset, hæc tam grandia non fecissent. At tamen ut multa paucis claudam, has asserere audeo ueros certosq́ fuisse uiros, Meniásque iuuenes quas simulabant fœminas extitisse.

DE PENTHESILÆA REGINA Amazonum. Caput xxx.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis,
Penthesilæa furens, medijsq́ in milibus ardet
Bellatrix, auditq́ uiris concurrere uirgo.

PEntesilea uirgo, Amazonum regina fuit & successit Orithyi et Anthiope reginis. Quibus tamen procreata parentibus non legi. Hanc aiunt omnis inclyti spreto decore & superata mollicie fœminei corporis, arma induere maiorum suarũ aggressam, & auream cæsariem tegere galea, ac latus munire pharetra, & militari ritu currus & equos ascendere, seq́ præ ceteris re-

ginis mirabilem exhibuere viribus & disciplina ausa est. Cui nec ingenium validum defuisse constat, cum legatur securis usum in seculum usque suum incognitũ, fuisse compertum. Hæc (ut placet aliquibus) audita Troiani Hectoris uirtute nondum uisum ardenter amauit, & cupidine in successionem regni inclytæ prolis ex eo suscipiendi, in tam grandem oportunitatem cũ maxima suarum copia, eius in auxilium aduersus Graios, facile prouocata descendit. Nec eam clara Græcorum principium perterruit fama, quin Hectori armis & virtute cupiens quã formositate placere, sæpissime certamina frequentium armatorũ intraret, & nonnunquã hasta prosternere, quandoq; obsistentes gladio aperire, & per sæpe arcu versas in fugã turmas pellere, & tot tamq; grandia viriliter agere, vt ipsum spectantem aliquando Hectorem in admirationem sui deduceret. Tandem dum in fortissimos hostes virago hęc præliaretur vna, seq; ultra solitũ tanto amasio dignã ostenderet, multis ex suis iã cæsis lætali suscepto vulnere miseranda, medios inter Græcos à se stratos occubuit. Alij uero uolunt eam Hectore iam mortuo applicuisse Troiam, & ibidẽ ut scribitur acri pugna cęsam. Essent qui possent mirari mulieres quantũcunq; armatas in viros unquã incurrere ausas ni admirationẽ subtraheret, qđ usus in naturam uertatur alteram, quo hęc & huiusmodi, longe magis in armis homines factæ sunt, quã sint quos sexu masculos natura fecit & otiositas & uoluptas uertit in fœminas, seu lepores galeatos.

DE POLIXENA PRIAMI REgis filia. Caput xxxi.

Vtq; meum non sit sine honore sepulchrum,
Placet Achillæos mactata Polyxena manes.

POlyxena uirgo Priami regis Troianorum ex Hecuba fuit filia, tam floridæ pulchritudinis adolescentula, ut seuero pectori Achillis Peliadis, flammas immittere potuerit cupidinis, eumq; solũ matris Hecubæ fraude, in suam necem, nocte in templum usq; Apolinis Tymbræi deducere, ubi nefarie & turpiter à Paride sagitta configebatur, ut morti occubuerit. Ob quã lapsis Troianis uiribus & Ilio deiecto à Neoptolemo in piaculum manium patris sui, & ad eius tumulum deducta est. Ibiq; (si maiorum literis fides ulla præstari potest) uidens acrem iuuenem expedisse gladiũ, flentibus cæteris circumstantibus, innocens adeo constanti pectore & intrepido vultu iugulũ præbuit, ut non minus admiratio fortitudinis eius quam pietatis filij Neoptomi erga patrem Achillem moueret animos. Magnum quippe & memoratu digni,

tu dignũ, quod tenella ætas, sexus fœmineus, mollities regia, mutata fortuna, potuit grandem præssisse uirginis animum, & potissime sub uictoris et hostis gladio, sub quo nonnunquam egregiorum uirorum nutant, & persæpe deficiunt animosa pectora. Crediderim facile hoc generosæ naturæ opus, ut ostenderet hac mortis paruipensione, quam fœminam produxisset, ni tam cito hostis surripuisset fortuna.

DE HECVBA REGINA TROianorum. Caput xxxij.

Disce meo exemplo miseræ discrimina uitæ,
Tristia cum lætis sorte regenda truci.

HEcuba Troianorum prȩclarissima regina fuit ȩque perituri splendoris fulgor eximius, & miseriarum certissimum documentum. Hæc secundum quosdam Dimantis Aonis filia extitit. Alij uero Ciphæi regis Traciȩ volunt, quod quidem & ipse arbitror cum sic opinetur à pluribus. Nupsit hȩc uirgo Priamo Troianorum regi illustri, & ex eo mixtim utriusq; sexus concepit, peperitq; filios decem & nouem, inter quos iubar illud eximium phrygiæ probitatis Hector, cuius tantus fuit militiæ fulgor, vt non se tantum æterna fama splendidum faceret, quinimò & parentes patriamq; perenni nobilitaret gloria. Verũ non tantũ felicis regni decore, ac multiplicis prolis serenitate fulgida facta est, quin urgente, aduersa fortuna orbi toto longe cognita deueniret. Hectorem nempè dilectissimũ sibi, & Troilum adolescentem & iam maiora uiribus audentem, manu Achillis cæsos, & ea cȩde regni solidam basem ferè euersam mœstissime fleuit. Sic & à Pyrrho Paridem trucidatum, inde auribus naribusq; truncatum Deiphebũ, atq; fœde exanimatum, Ilium igne cremari Danao, Politem patris ingremio confodi. Priamum ipsum senem secus domesticas aras exenterari, Cassandram filiam Andromachen nurum, seque captiuam ab hostibus trahi, Polixenam ante Achillis tumulum obtruncari, Astyonactem nepotem ex latebris surreptum saxo illidi miseranda conspexit, Et postremo taceo in littore tumulatum adolescentulum Polydorum, Polymnestoris fraude occisum operit atq; fleuit. Quibus tot tamq; immanibus oppressam doloribus, in rabiem versam uolunt aliqui, Thraciosq; peragros ritu ululasse canum, & sic mortuam & in tumulo Hellesponti-aci litoris cui nomen à se Cynosenia sepultã. Nonnulli dicunt in seruitutem ab hostibus cum reliquis tractam, & ne miseriarum illi particula deesset ulla,

uidisse ultimo Cassandram occiso, Agamenone iam Clytemnestræ iussu iugulata est.

DE CASSANDRA PRIAMI Troianorum regis filia. Caput xxxiij.

Ecce trahebatur passis Priameïa virgo,
Crinibus à templo Cassandra, adytisq́ Mineruæ.

CAssandra Priami fuit Troianorum regis filia. Huc quidem (ut uetustas asserit) uaticinij mens fuit, seu quæsita studijs, seu dei dono, seu potius Diabolica fraude, non satis certum est. Hoc tamen affirmatur à multis, eam longe ante raptum Helenæ audaciamq́ Paridis & aduentum Tyndaridis, & longam ciuitatis obsidionem, & postremum Priami atq Ilij desolationem, persæpe & clara cecinisse uoce, & ob hoc cum nulla dictis suis præstaretur fides, à patre & fratribus uerberibus castigatam uolunt, ac etiam fabulam inde confectam, eam scilicet ab Apolline dilectam, & in eius concubitum requisitam, cui se præstaturam promisisse dicunt, si ab eodem ante, eidem futurorum notitia præstaretur, quod cum suscepisset negassetq́ promissum, nec Apollo posset auferre concessum, aiunt illum muneri adiecisse, neminē qđ diceret crediturum & sic factum est, ut quod diceret tanquam fatue dictum crederetur à cunctis. Hæc autem Corebo cuidam nobili desponsata iuueni, prius illum in bello perdidit, quam ab eo susciperet in thalamū, & demum per euntibus rebus captiua Agamenoni cessit in sortē. A quo cū Mycenas traheretur eidē cecinit, sibi à Clytemnestra pparatas insidias atq mortē. Cuius uerbis cū fides daretur nulla, post mille maris pericula Mycenas cū Agamenōe deuenit, ubi eo Clytemnestræ fraude cæso, & ipsa eiusdem Clytemnestræ iussu iugulata est.

DE CLYTEMNESTRA MYCENArum regina. Caput xxxiiij.

Spem Mycenæus magnorum ductor Achiuum
Coniugis (infandum) prima inter limina dextra
Oppetijt, deuicta Asia subsedit adulter.

CLytemnestra Tyndari regis Oebaliæ filia fuit, ex Leda & castoris atq pollucis & Helenę soror, uirgoq́ nupsit Agamenoni Mycenarū regi. Quæ & si genere satis & coniugio clara esset nephario tamen ausu clarior

facta

facta est. Nam imperante Agamenone uiro Græcorū copijs apud Troiam, cum ex eo iam plures filios peperisset, otiosi atque desidis iuuenis Egysti, olim Thyestis ex Pelopia filij, qui ob sacerdotium abstinebat ab armis, in concupiscentiam incidit. Et (ut placet aliquibus) Nauplij senis Palamedis olim patris, suasionibus, eius in amplexus & concubitum uenit. Ex quo scelere secutum est, ut seu timore ob patratum facinus redeuntis Agamenonis, seu Amasij suasione, & regni cupidine, seu indignationis conceptæ ob Cassandram, quæ ab Agemenone ducebatur Mycenas, animosa mulier armato animo & fraudibus, temerario ausu surrexit in uirum, eumq́ꝫ uictorem Ilij redeuntem, & maris tempestatibus fessum, ficta oris lætitia suscepit in regiam. Et (vt quibusdam placet) cœnantem & uino iam forte madentem percuti iussit ab adultero ex insidijs prodeuntem. Alij autem dicunt, cum recubaret uestimentis victoria quæsitis implicitus, quasi græcanicis festum clarius esset futurum, placidę adultera coniunx illi suasit ut patrias indueret uestes, & quas ipsa in hoc ante cōfecerat, easq́ꝫ exitu capitis carētes, audax porrexit eidem, et cū iam brachia manicis iniecisset vir, quęreretq́ꝫ circumuolutus vnde posset emittere caput semiligatus, adultero percussori ab eadem suadente concessus est: & sic eo nemine vidente percussus est. Quo facto regnum occupauit omne, & cum adultereo Egysto per septennium imperauit. Sanè cum excreuisset interim Orestes Agemenonis ex ea filius, quem clàm seruauerant à furore matris amici, animum in necem patris vlciscendam sumpsisset, tempore sumpto eam cum adultero interemit. Quid incusem magis nescio? scelus an audaciam? Primum prægrande malum non meruerat vir inclytus. Secundum quanto minus decebat perfidam mulierem, tanto abominabile magis. Habeo tamen quid laudem Orestis scilicet virtutem, quæ diu abstinere passa non est à pietate incestæ matris retrahi, quin in immeritam patris necem animosus vltro irrueret, & in male meritam matrem filius ageret quod minus meritus genitor ab adultero sacerdote, incæsta imperante fœmina, passus fuerat. Et eorum quorum imperio & opere, paternus sanguis effusus fuerat, vt in autores verteretur scelus, effuso sanguine piaretur.

DE HELENA MENELAI REgis coniuge. Caput xxxv.

Vnaq́ꝫ cum regnum, belli daret altera laudem,
Tyndaridis coniunx tertia dixit, eris
Apta magis Veneri, quam sunt tua corpora Marti,
Bella gerant fortes, tu Pari semper ama.

Helena

HElenam tam ob suã lasciuiam (ut multis uisum est) quã ob diuturnũ belli ex ea cõsecutũ, toto orbi notissima foemina, filia fuit Tyndari Cibalię regis & Ledę formosissimæ mulieris, & Menelai Lacedęmonũ regis coniunx. Huius (ut omnes aiunt veteres Gręci Latiniq́ꝫ post eos) tã celebris pulchritudo fuit, vt pręponatur facile cęteris. Fatigauit em̃ (vt reliquos sinã) diuini ingenij virum Homerũ, anteq̃ illam posset secundũ pręcepta satis cõuenienter describere carmine. Præterea pictores & sculptores multiplices egregij omnes eundẽ sumpsere laborem, vt tam eximij decoris saltẽ effigiem (si possent) posteritati relinquerent, quos inter sum̃a conductus à Cotoniensibus pecunia, Zeuxis Heracleotes illius seculi famosissimus pictor & prępositus cæteris ad illã penicillo formandã ingeniũ omne artisq́ꝫ uires exposuit, & cum pręter Homeri carmen & magnam vndiqꝫ famã, nullum aliud haberet exemplũ, ut per hæc duo, de facie, & cætero personę statu potuerat mente cõcipere excogitauit se ex alijs plurimum pulchris formis diuinã illã Helenæ effigiem posse percipere, & alijs poscentibus designatã ostendere posteritati relinquere, primo formosissimis pueris, & inde sororibus ex formosioribus quinqꝫ præcipuo decore spectabiles elegit, & collecta secum ex pulchritudine omniũ forma vna, totis ex ingenio celebri depromptis viribus, uix creditum est satis plene, quod optabat arte potuisse perficere. Nec ego miror, quis enim picturę penicillo aut statuæ scalpro uel ullo colore potuit inscribere lætitiã oculorũ, totins oris placidã affabilitatem, cœlestẽ risum, motusq́ꝫ faciei uarios & decoros secundũ verborum et actuũ qualitates, cũ solius hoc naturę officiũ sit? Fecit ergo quod potuit, & qđ pinxerat tanq̃ cœleste simulachri decus posteritati reliquit. Hinc acutiores finxere fabulã, eamqꝫ ob sydereũ oculorũ fulgorem, ob à nullis ante uisam mortalibus lucẽ, ob insignẽ faciei candorem, aureamq́ꝫ comæ volatilis copiam, hinc inde per humeros petulantibus recidentem cincinnis, & lepidã sonoramq́ꝫ vocis suauitatẽ, nec non & gestus quosdã tam cynamomi roseiq́ꝫ oris quã splendidæ frontis, & eburnei gutturis, ac ex nunquã uisis delitijs pectoris assurgentis, non nisi ex conceptu Lędæ et Iouis in cignum uersi procreatã, ut pręter quã à matre susc episse poterat, formositatẽ intelligeretur ex infuso numine datum qꝫ penicillo coloribusq́ꝫ, ingenio suo imprimere nequibãt artifices. Ab hac tã spectanda pulchritudine in Laconas Theseus ab Athenis euocatus ante alios virginẽ & ætate tenellam in palęstra primo ludentẽ more, audax rapuit, & si præter oscula pauca eidem auferre nequiuerat, aliqualem uirginitatis labefactæ iniecit notam, quę fratribus ab Alethia Thesei matre, seu (vt uolũt alij) à Proteo rege Ægyptio absente Theseo repetentibus restituta, et tandẽ matura uiro Menelao Lacedęmonũ regi cõiugio iuncta est, cui Hermionã filiã peperit unicã, post hęc fluentibus añis cũ re

dijsset

dijßet Paris, qui obſomnium pregnantis matris in Idam fuerat expoſitus & in lucta Hectorem fratrem ſuperaſſet non cognitus, mortemq; crepundijs oſtenſis & à matre cognitus euitaſſet, memor ſponſionis ſpecioſiſſimę coniugis ſibi à Venere, oblatam à ſe apud Idam inter tres deas ſententiã. Seu (ut alij uolũt) poſtulaturus Heſionã fabrefactis ex Ida nauibus regio comitatu ſociatus trãſfretauit in Græciam, & à Menelao fuit ſuſceptus hoſpicio, ibi cũ uidiſſet Helenam cœleſti decore conſpicuam atq; regio in cultu laſciuientem, ſeq; intueri cupientem, captus illico: & ex moribus ſpe ſumpta, captatis temporibus ſcintillantibus feruore oculis, furtim impudico pectori ignem ſuæ dilectionis ingeſſit, ceptisq; fortuna fauit, nam exigente oportunitate eo relicto, Cretam Menelaus perexerat. Quamobrem placet aliquibus, eis æquis flãmis urentibus ex cõpoſito factum eſſe, ut Paris ignem per quietem ab Hecuba uiſum portaret in patriam & uaticinia adimpleret, maxima cum parte theſaurorum Menelai, noctu ex Latonico littore, ſeu (ut alijs placet) ex Citherea ibidem uicina inſula, dum in templo quoddam primo ritu ob ſacrum conficiendum Helenam uigilantem raperet, paratæq; claſſi imponeret, & cum ea poſt multa pericula deueniret in Troiam, ubi cum præcipuo honore à Priamo ſuſcepta eſt, eo extimante potius notam iniuriæ abſterſiſſe, ob detentam à Thelamone Heſionam, quam poſtremam regni ſui deſolationem ſuſcepiſſe in patria.

Hac huius illecebra mulieris, uniuerſa græcia commota eſt, & cũ Graij principes omnes, Paridis potius iniuriam ponderarent, quam Helenę laſciuiam, ea fruſtra repetita ſæpius in Troię excidium cõiurarunt unanimes, collectisq; uiribus cũ mille uel amplius nauibus armatorum onuſtis, littus inter Sygæum & Retheum promuntoria phrygiæ occupauere, & Ilium obſederunt, fruſtra obſiſtentibus phrygijs, Helena quidem quanti foret ſua formoſitas ex muris obſeſſæ ciuitatis uidiſſe potuit, cernens littus omne cõpletum hoſtibus, & igne ferróque circũ, deſolari omnia, populos inire certamina ac per mutua uulnera in mortẽ iri, & tã Troiano quã Græco ſanguine cũcta fœdari. Quæ quidem tã pertinaci propoſito repetita eſt atq; detenta, ut dum nõ redderetur, per decenniũ cęde multorũ nobiliũ cruenta perſeueraret obſidio. Qua ſtante Hectore iã mortuo, & Achille, atq; à Pyrrho acerrimo iuuene trucidato Paride, quaſi paruũ ſibi uiſum ſit peccaſſe ſemel, Helena ſecũdas iniuit nuptias nupſitq; Deiphebo iuniori. Tandẽ cũ ꝓditiõe tentaret à Gręcis qđ armis obtineri nõ poſſe videbat. Hæc quę obſidiõi cauſam dederat, ut operã daret excidio & ad uiri primi gratiã promerendã, Quicquid poterat contra Troianos moliebatur, tandemq; ex conſtituto cũ per dolium Græci ſimulaſſent diſceſſum. Troianis perterritis, feſſisq; laboribus, & noua lætitia feſtisq; epulis victis, ſomnóque ſepultis, Helenam choream ſimulans accenſa face in tempore, ex

arce

arce reuocauit Græcos intentos. Qui redeuntes cum tacite semisopitam urbem reseratis ianuis intrassent, ea censa & Deiphebo fœde cæso. Helenam post uigesimum à raptu annum Menelao restituere coniugi. Alij vero asserunt Helenam non sponte sua à Paride raptam, & ob id à viro meruisse suscipi. Qui cum ea Græciam repetens à tempestate & aduerso vento agitatus plurimum in Ægyptũ cursum uertere coactus, à Polybo rege susceptus est. Post hæc sedatis procellis in Lacedęmona cum reacquisita cõiuge ferè post octauum annum à desolato Ilio susceptus est. Ipsa autem quamdiu post hæc vixerit, aut quid egerit, seu quo sub cœlo mortua sit, nunquam legisse recordor.

DE CIRCE SOLIS FILIA.
Caput xxxvi.

Hinc exaudiri gemitus, iræq; Leonum,
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum,
Setigeriq; suos, atq; in præsepibus ursi
Sæuire, ac formæ magnorum ululare luporum,
Quos hominum ex facie, Dea sæua, potentibus herbis
Induerat Circe, in uultus ac terga ferarum.

CIrces cãtationibus suis in hodiernũ usq; famosissima mulier, ut poëtarũ testantur carmina, filia fuit Solis, & Persæ Nymphæ Oceani filiæ, sororq; Oethæ Colchorum regis. Solis (ut arbitror) ideo filia dicta, quia singulari floruit pulchritudine, seu quia circa notitiam herbarum fuerit eruditissima, uel potius: quia prudentissima in agendis, quæ omnia solem diuersis habitis respectibus dare nascentibus Mathematici arbitrantur. Quo autem pacto relictis Colchis Italiam petierit, me minime legisse memini. Eam Ætheum Volscorum montem quem de suo nomine dicimus in hodiernum usque Circeum incoluisse omnes testantur historiæ. Et eum nil præter poëticum legatur ex hac tam celebri muliere, recitatis succincte poëticis, quo præstabitur ingenio, mentem excutiemus credentium. Volunt igitur ante alia quoscunq; nautas, seu ex proposito, seu tempestatis impulsu, ad dicti montis, olim insulæ, littora applicantes, huius arte & cantatis carminibus, seu infectis ueneno poculis in feras diuersarum specierum fuisse conuersos, & hos inter uagi Vlyssis fuisse socios: eo Mercurij mediante consilio seruato, qui cum euaginato gladio mortem minaretur uenefice, socios reassumpsisse in formã redactos

pristinam,& per annum contubernio usus eiusdem, ex ea Theologonum suscepisse filium dicunt, & ab ea plenum consilij discessisse, quo sub cortice hos existimo latere sensus. Sunt qui dicant hanc fœminam haud longe à Caieta Campanię oppido, potentissimam fuisse viribus & sermone, nec magnificantem, dũmodo aliquid consequeretur optatum, à nota illęsam seruasse pudicitiam,& sic multos ex applicantibus suo littori, blanditijs & ornato sermone nõ solum in suas illecebras traxisse, uerũ alios in rapinam Pyraticam inpulisse, nonnullos omni honestate postposita ad exercenda negotia & mercimonia dolis incitasse, & plures ob sui singularem dilectionem in superbiã extulisse, & sic hij quibus infaustæ mulieris opera, humana subtracta videbatur ratio, eos ab eadẽ in sui facinoris feras merito crederetur fuisse conuersos. Ex quibus satis comprehendere possumus, hominum mulierumq; conspectis moribus multas vbiq; Circes esse,& longe plures homines lasciuia & crimine subuersos in beluas, Vlysses autem Mercurij consilio perdoctus, prudentem uirum satis euidenter ostendit, quẽ adulantium nequeunt laqueare decipulæ, quinimò & documentis suis laqueatos persæpe soluit à vinculo, reliquum satis patet ad historiam pertinere qua constat Vlyssem aliquandiu permansisse cũ Circe. Refertur præterea hanc eandem fœminam Pici, Saturni filij Latinorum regis fuisse coniugem, eumque augurandi docuisse scientiam, & ob Zelum quia Pomonã Nympham adamaret, eum in auem sui transformasse nominis. Erat enim ille domesticus Picus auis ex cantu cuius & moribus sumebat de futuris augurium, & quia secundum actus Pici vitam duceret, in Picum uersus dictum est. Quando seu quo mortis genere aut ubi hæc defuncta sit Circes, compertum non habeo.

DE CAMILLA VOLSCORVM regina. Caput xxxvij.

Per uarios uitæ casus, per mille pericla,
Ad superos euecta, regit ueneranda Camilla,
Rhomulidas rerum dominos, paruosq; Quirites.

CAmilla insignis & memoratu dignissima virgo fuit & Volscorum regina, hæc ex Metabo Volscorum rege antiquissimo & Casmilla coniuge genita, nascens matri mortis causa fuit, nã cũ enixa paruula, moreretur, à Metabo patre vnica tantũ ex materno nomine dempta litera, s. Camillam

filiam nuncupauit in ſui ſolatium. Huius quidem uirginis à natali ſuo die ſeuera fortuna fuit, nam paululum poſt matris funus Metabus primatorũ ciuium ſuorũ repentina ſeditiõe regno pulſus, nil per fugã arripiens, præter paruulam hanc filiam ſuam ſibi præ cęteris rebus dilectam aſportaſſe in exilium potuit. In quod cũ ſolus pedesq́ miſer fugeret & in ulnis filiã deportaret Camillam, ad Damaſcenum fluuium pridiano imbre tumentem deuenit, nec cum onere infantulæ præpeditus, poſſet enatare, in opportunum deuenit cõſilium porrigente deo, qui celebrem futuram virginem ignobili abſumi fato nolebat. Illam igitur ſuberis cortice inuolutam, iaculo quod forte ferebat alligauit, atque Dianę deuouit ſi ſeruaſſet incolumem, & uibrato totis viribus brachio iaculum cũ filiam in ripam tranſiecit aduerſam, quã eueſtigio nando ſecutus eſt, & cũ illam dei munere comperiſſet illæſam, in miſeria lætus ſyluarũ petijt latebras, nec abſq́ labore plurimo paruulam educauit lacte ferino. Quæ cũ in validiorẽ euaſiſſet ætatem, tegere ferarum corpus cœpit exuuijs & tela uibrare lacertis, fundasq́ circũagere, arcus tendere, geſtare pharetras, curſu ceruos capreasq́ ſylueſtres inſequi atq́ ſuperare, labores fœmineos omnes deſpicere, virginitatem præ cęteris omnibus inuiolatam ſeruare, iuuenũ amores ludere, & connubia potentũ procerum omnino reſpuere, ac ſeſe totã Dianæ obſequio cui pater deuouerat exhibere. Quibus exercitijs durata uirgo in patrium reuocata regnũ, ſeruauit robore inflexo propoſitũ. Tandem cũ à Troia Æneas veniens Lauiniam ſumpſiſſet in coniugẽ, & ob id bellũ inter eum Turnumq́ Rutulũ eſſet exortũ, congregantibus eis undiq́ copias, Camilla Turni partibus fauens, cũ grandi Volſcorum agmine venit auxiliatrix eidem. Et cũ ſæpius armata irruiſſet in Phrygios, & de una acriter pungnans multos occidiſſet ex eis, & nouiſſime Corebũ quendam Cybeles ſacerdotẽ armorũ eius auida inſequeretur, ab Arunte quod ex hoſtibus ſagitta ſub papilla lætaliter percuſſa maximo Rutulorum dãno moribunda collapſa eſt. Et ſic inter armata exercitia expirauit, Hanc intueantur velim puellulæ hodiernę, & dũ ſui iuris virginem adultã, & pro libito nunc latos agros, nunc ſyluas & luſtra ferarũ accinctam pharetra diſcurrentẽ, labore aſſiduo laſciuias illecebres appetitus prementem, delitias atq́ mollitiẽ, accuratas offas & elaborata pocula fugientem, & cõſtantiſſimo animo coæuorum non dicam amplexus, ſcilicet verba etiam reſpuentem viderint, monitę, diſcant quid eas in domo patria quid in templis, quid in theatris, in quibus ſpectantiũ multitudo & ſeueriſſimi morum cenſores cõueniunt deceat, minus ꝗdem honeſtis negare aures, os taciturnitate frenare, oculos grauitate cõpeſcere, mores componere, & geſtus omnis ſuos honeſtatis mole comprimere: otia, comeſſationes, lautitias, nimias choreas & iuuenum vitare conſortia, ſentiantq́ quoniam nec optare

quod

quod libet, nec quod licet agere factum sit castitate conforme, ut prudentiores factę & laudabili virginitate florentes, in sacras nuptias maturę maioribus ob temperantes suis deueniant.

DE PENELOPE VLYSSIS coniuge. Cuput xxxviij.

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, & immensas increpat usq; moras.
Increpet usq; licet, tua sim, tua dicar oportet,
Penelope coniunx semper Vlyssis ero.

PEnelope Icari regis filia fuit, & Vlyssis seuerissimi viri coniunx, illibati decoris atq; intemeratæ pudicitię matronis exemplum sanctissimum et æternum. Huius quidem pudoris uires à fortuna acriter agitatæ, sed frustra sunt, nam cũ iuuencula virgo, & ob uenustatem formæ, plurimum diligenda à patre iuncta fuisset Vlyssi, peperissetq; ex ea Telemachum, & ecce in expeditionem Troiani belli vocatus, imò vi ferè tractus Vlysses, ab eo cũ Laerte patre iã sene Anthiclia matre & paruo filio relicta est. Sanè perseuerante bello nullam præter decemnalem viduitatis iniuriam passa est. Attamen Ilio deiecto cum repetentes domum proceres, atq; in scopulos tempestate maris illisos aut peregrinum littus impulsos, aut undis absorptos seu paucos in patriam receptos fama monstraret, solius Vlyssis erat incertum, quo cursum tenuissent naues. Quamobrem cum expectatus diu non reuerteretur in patriã, nec appareret ab ullo usquã visum, mortuus existimatus est, qua credulitate Anthiclia genitrix miserãda ad liniendum dolorem vitã terminauit laqueo, Penelope autem & si ægre plurimum ferret viri absentiam longe tulit ęgrius sinistrã mortis eius suspitionem, sed post multas lachrymas, & Vlyssem frustra vocatũ sæpissime, inter senem Laertẽ & Telemachum puerũ, in castissimam & perpetuam viduitatẽ senescere firmato animo disposuit. Verũ & cũ forma decens moresq; ꝓbabiles & egregium genus, ad se dilgendã atq; cõcupiscendã quorundã nobiliũ ex Ithaca atq; Cephalania et Æ tholia prouocasset animos plurimũ, instigationibus eorũ vexata est. Nã cũ in dies spes uitæ Vlyssis aut reditus eiusdẽ cõtinue uideret minui, eo uentũ est, ut abeunte rus ob fastidium procorum Laerte, proci ipsi Vlyssis occuparent regiã, et Penelopẽ precibus ac suasionibus pro uiribus & sępissime in suũ ꝓuocarent cõiugium. Ast mulier metuens ne forte sacri pectoris uiolaretur propositum, cũ iam cerneret viã negationibus auferri diuino profecto illustrata lumine, terminis &

aſtutia infeſtos ſaltem ad tempus fallendos eſſe arbitrata eſt, petijtq́ꝫ inſtantibus, ſibi tam diu liceret expectare uirum, donec telam quã more regalium mulierum cœperat perfeciſſe poſſet. Quod cum facile conceſſiſsent conpetitores egregij, ipſa fœmineo aſtu quicquid in die ſolerti ſtudio texens uidebatur operi coniungere, clàm reuocatis filis ſubtrahebat in nocte. Qua arte, cum eos in regia Vlyſſis bona aſsiduis conuiuijs conſumentes aliquandiu luſiſset, nec iam amplius uideretur locum fraudi poſse præſtari, dei pietate factum eſt, ut ex Phœnicum regno nauigans, poſt uigeſimum ſui diſcesſus annum, ſolus & incognitus Vlyſſes Ithacam ueniret, paſtoresq́ꝫ ſuos ſciſcitaturus rerũ ſuarũ ſtatum adiret, & cum ex aſtutia pauper inceſsiſſet habitu à Sybote iã ſene portario ſuo comiter ſuſceptus, ab eodem referente ferè omnem rerum ſuarum cõprehendit ſeriem, & Telemachum à Menelao redeuntem uidit, ſeq́ꝫ clam illi cognitum fecit, & conſilium ſuum aperuit omne, factumq́ꝫ eſt vt à Sybote incognitus deduceretur in patriam. Qui cum uidiſset quo pacto rem ſuam diſtraherent proci atqꝫ pudicam Penelopem eorum reuerentem coniugium, irritatus cum Sybote ſubulco, & Philitia opilione ſuo atqꝫ Telemacho filio clauſis regio ianuis in procos conuiuantes inſurgens, Eurymachum Polybi filium, Anthinoum Amphionis atqꝫ Chryſippum Samium Agelaum alióſqꝫ fruſtra ueniam exorantes una cum Melantheo caprario ſuo hoſtibus arma miniſtrante atque mulieribus uirisq́ꝫ domeſticis, quas nouerat cum procis contubernium habuiſſe occidit, ſuamq́ꝫ Penelopem ab inſidijs procantium liberauit, quæ tandẽ cum uix eum recognoſcere potuiſſet, ſummo perfuſo gaudio, diu deſideratum ſuſcepit. Vult tamen Lycophion quidam nouiſſimus poëtarum ex grȩcis, hanc ſuaſionibus Naupli ſenis ob uindictam Paliemedis filij ſui ferè omnis Græcorum coniuges lenocinio in meretricium deducentis Penelopen cum aliquo ex procatoribus in amplexus & concubitum veniſſe, quod abſit, ut credam, celebrem caſtimonia multorum autorum literis mulierem, vnius in contrarium aſſerentis Penelopen præter caſtiſſimam extitiſſe. Cuius quidem uirtus tanto clarior, atque cõmendabilior eſt, quanto rarior inuenitur, & maiori impulſa certamine perſeuerauit conſtantior inconcuſſa.

DE LAVINIA LAVRENtum regina. Caput xxxix.

Subuehitur magna matrum regina caterua
Dona ferens, iuxtaq́ comes Lauinia virgo,
Causa mali tanti, deiecta oculosq́ decoros.

LAuinia Laurentum regina, genus à Saturno Cretensi ducens, Latini regis & Amatæ coniugis eius fuit filia unica. Et tandem Æneæ strenuissimi Troianorum ducis coniunx, magis belli Æneę Turni, Rutuliq́, tam clara quam alio facinore suo. Hæc quidem ob insigne formositatis suæ decus & paternum regnum, cui successura uidebatur, à Turno Rutulorum rege ardentissimo iuuene, instantissime in coniugium petita est, eiq́ ex eo spem fecerat Amata mater quæ auia desiderio nepotis fauebat impense: Sanè Latinus augurandi peritus, cum ab oraculo suscepisset filiam, extero duci tradendam, coniugis tardius ibat in votum. Quinimò cum à Troia profugus aduenisset Æneas, Latinus tam ob generis claritatem, quam ob oraculi monitus eidem poscenti amicitiam, spopondit, filiam quamobrem inter Æneam Turnumq́ bellum suscitatum est. Et post multa certamina obtinentibus Troianis per vulnera, sanguinem, mortesq́ plurium nobilium ab Ænea in Lauiniæ nuptias itum est, mortua iam ob indignationem Amata laqueo. Sunt tamen qui velint bellum post nuptias exortum, sed qualitercunq́ gestum sit cōstat, Lauiniam ex Ænea clarissimo principe concepisse filium, & eo ante diem partus apud Numicum fluuium rebus humanis subtracto cū Ascanium priuignum regnantē timeret secessisse in syluas, et ibi Posthumiū peperisse, atq́ (ut uolūt aliqui) Iulium nominasse Syluium. Sanè cum mitior creditus esset in nouercam Ascanius, & sibi Albam ciuitatem condidisset, ultro secedens, Lauiniæ regnum patrium liquit, quod Lauinia patriam veterē pectori generositatem gerens, honeste atq́ pudice viuens, summa cum diligentia tenuit, illúdque tamdiu seruauit, donec Syluio scilicet filio pubescenti resingnaret in nihilo diminutum. Volunt tamen aliqui eam à syluis reuocatam Melampodi cuidam nupsisse, & Syluium ab Ascanio fraterna beneuolentia educatum.

DE DIDONE SEV ELISSA Tiria Carthaginensium regina. Caput xl.

Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra,
Hic templum Iunoni ingens Sydonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine Diuæ.

Dido cui prius Elissa nomen, Carthaginis æquè cõditrix & regina fuit. Huius quidem in ueras laudes paululum ampliatis fimbrijs ire libet, si forte paucis literulis meis, saltem pro parte notam indigne obiectam, decori sui uiduitatis abstergere queam, & ut altius in suam gloriam aliquantisper assumam, Phœnices ut satis vulgatum est, populi industria præclarissimi ab extrema ferè Ægypti plaga in Syrium venientes littus, plurimas & pręclaras ibi condidere urbes. Quibus inter alios rex fuit Agenor nostro, nedum suo æuo præfulgidus fama, à quo genus Didonis inclytum manasse creditũ est. Cuius pater Belus Phœnicum rex, cũ Cypro Insula subacta, clausisset diem, eam virgunculã cum Pygmaleone fratre grandiusculo Phœnicum reliquit fidei, qui Pygmaleonem cõstituentes genitoris in solium, Elissam puellulam et forma eximiam, Aterbę seu Sychæo vel Sicario (ut alij dicũt) Herculis sacerdoti, cui primus erat post regem apud Tyrios honor cõiugio iunxere. Hij autem inuicem sanctissime se amarunt, erat præ cęteris mortalibus cupidissimus & inexplebilis Pygmaleon auri, sic & Aterba ditissimus. Esto regis auaritia cognita illud occultasset latebris, uerum cũ famam occultasse nequiuerit auiditatem tractus Pygmaleon, spe potiundi per fraudem occidit incautũ, quod cũ cognouisset Elissa adeo impatienter tulit, ut vix abstineret à morte, sanè cum multum temporis cõsumpsisset in lachrymis, et frustra sæpius dilectissimũ sibi vocasset Aterbã, atq; in fratrẽ diras omnis execrationes expetisset, seu in somnis monita (ut placet aliquibus) seu ex proprio mentis suæ consilio fugã cõpetere deliberauit, ne forsan & ipsa auaritia fratris traheret in necẽ, & posita fœminea mollitie, et firmato in uirile robur animo, ex quo postea Didonis nomẽ meruit, Phœnicũ lingua sonans, quod uirago Latinæ. Ante alia nõnullos ex principibus ciuitatũ, qbus uarijs ex causis Pygmaleonẽ sciebat exosum, in suam deduxit sententiã, & sumpta fratris clase, seu ad eam transferendã, seu in aliud pręparata, cõfestim nauallibus cõpleri socijs iussit, & nocte sumptis thesauris omnibus, quos uiri nouerat, & quos fratri subtraxisse potuit, clàm nauibus inponi fecit, & excogitata astutia pluribus inuolutis arena repletis, sub figmento thesaurorũ Sychæi videntibus omnibus easdẽ onerauit, & cũ altum iam teneret pelagi, mirantibus ignaris in mari proijci inuoluta iussit, & lachrymis se

mis se morte quãdiu desiderauerat, thesaurorũ acerbe submersione ad inueniss se testata est, sed socijs cõpati quos non dubitabat, si ad Pygmaleonem irent diris supplicijs una secũ ab auarissimo atq; truci rege carnificari, sanè si secũ fugã arripere uellent nõ se illis, & eorũ opportunitatibus defunctã asseruit, qđ miseri audientes nautæ & si ægre natale solum patriosq; penates linquerẽt timore, tamen sęuæ mortis exterriti, in cõsensum exilij venere faciles, & flexis proris ea duce in Cyprũ uentum est, ubi uirgines Veneri in littore libamẽta suorum more soluentes, ad solatium iuuentutis, & prolem procreandã rapuit, & Iouis antistitẽ cum omni familia præmonitũ, et magna huic fugæ subsecutura vaticinantẽ, socium peregrinationis suscepit, et iã Creta post tergum et Sicilia à dextris relicta littus. Flexit in Afrum & Messaliorum orã, uadens sinum intrauit, postea satis notum quo tutã nauibus stationẽ arbitrata dare pauxillum quietis, fatigatis remigio statuit, ubi aduenientibus uicinis desiderio uisendi forenses, & alij cõmeatus & mercimonia portantibus (ut moris est) collocutiones & amicitię inire cœptæ, & cũ gratum appareret incolis eos ibidẽ mãsuros esse, & ab Vticensibus olim à Tyro ęquè profectis legatio suasisset sedes, cõfestim esto audisset fratrẽ bella minantẽ, nullo territa metu, ne iniuriã inferre cuiquã videretur, & ne quis eã magnum aliqd suspicaretur, facturã non amplius quã quantũ quis posset bouis occupare corio, ad sedem sibi cõstituendã ab accolis telluris in littore mercata est. O mulieris astutia iussu suo cõscissum bouis coriũ fracturisq; iunctis longe amplius, quã arbitrari potuerunt, uenditores amplexa est, & auspitio equini capitis bellicosam ciuitatẽ condidit, quam Carthaginem nuncupauit, & arcẽ à corio bouis byrsam, & cũ quos cum fraude texerat ostendisset thesauros, & ingẽti spe fugæ animasset socios surrexere illico mœnia, templa, forũ, & ædifitia publica et priuata, ipsa aũt datis populo legibus & norma uiuendi, cũ repente ciuitas euasisset egregia, & ipsa inclyta fama pulchritudinis inuisæ, et inauditæ uirtutis atq; castimoniæ per omnẽ Africam delata est, quamobrem (cum in libidinem promptissimi homines Afri sint) factum est, ut Musicanorũ rex in concupiscentiam ueniret eiusdẽ, eamq; quibusdã ex principibus ciuitatis, sub belli & desolationes surgentis ciuitatis denunciatione, ni daretur in cõiugium, postulauit, qui cum nouissent uiduę reginę sacrum atq; inflexibile castitatis propositum, & sibi timerent plurimum, ne petitoris frustrato desiderio bello absorberentur: nõ ausi interroganti Didoni quod poscebatur uerbis exponere, reginã fallere, & in optatũ deducere sua sententia cogitauerunt, eiq; dixerũt regem cupere, eorũ doctrina efferatã barbariẽ suã in mores humaniores redigere, & ob id sub belli interminatione ꝑceptores ex eis poscere, uerũ eos ambigere, quisnã ex eis uellet onus assumere, ut relicta patria apud tã imanem regẽ moraturꝰ iret, nõ sensit regina dolos,

quinimò in eos uersa egregij ciues inquit, quæ segnities hæc, quæ socordia, an ignoratis quia patri nascamur & patriæ, nec eum rite ciuem dici posse, qui pro salute publica mortem, si casus postulet, ne dum incōmodum aliquod renuit. Ite igitur alacres & paruo periculo uestro ingens belli incendiū remouete, his reginæ redargutionibus uisum est, principibus obtinuisse quod uellent, & uera regis detexere iussa, q̄bus auditis, satis reginæ visum est, se sua sententia petitum approbasse coniugium, ingemuitq; secum non ausa suorū aduersari dolo. Stante tamen proposito repente in cōsilium iuit quod suæ pudicitię opportunū uisum est, dixitq; se, si terminus adeundi virum detur iturā, quo cōcesso atq; adueniente Æ nea Troiano nunq̄ uiso, mori potius quā infringendā castimoniā rata in sublimiori patriæ parte, opinione ciuiū manes placatura Sychęi rogū cōstruxit ingentem, & puella tecta veste, & cæremonijs paratis varijs, ac hostijs cæsis plurimis illū conscendit, ciuibus frequēti multitudine spectantibus quidnā factura esset, quæ cū omnia pro votis egisset, cultro quē sub vestibus gesserat exacto ac castissimo apposito pectori, vocatóque Sychęo inquit, ꝑut uultis ciues optimi ad uirū uado, & uix uerbis tā paucis finitis, summa oīm intuentiū mœstitia in cultrum sese præcipitē dedit, & auxilijs frustra admotis, cū perfodisset uitalia pudicissimū effundens sanguinē, iuit in mortem. O pudicitiæ inuiolatū decus, O uiduitatis infractę uenerandū æternumq; specimen, Dido in te uelim ingerant oculos viduæ mulieres, & potissime cristianę, tuū robur inspiciant, te si possunt castitissimū effundentē sanguinē tota mēte cōsiderent, & hę potissimū q̄bus fuit, ne ad secundā solū dicam, sed ad tertiā & ad ulteriora etiā vota transuolasse leuissimū. Quid inquient, queso spectantes Christi insignite charactere, si exterā mulierem gentilē infidelem, cui omnino Christus incognitus ad cōsequendam pariturāq; laudem, tā perseuerāti animo, tā forti pectore in mortem usq; pergere non aliena, sed sua illatā manu anteq̄ in secundas nuptias iret, antequā obseruantiæ venerandissimū ꝓpositū violari permitteret. Dicet arbitror aliqua, cum perspicacissimę ad excusatiōes nostræ sint fœminæ, sic faciendū fuit, destituta eram, in mortē parentes & fratres obierant, instabant blanditijs procatores, ne quibā obsistere, carnea nō ferrea sum, O ridiculū Dido, sub quorū subsidio cōfidebat, cui exuli frater unicꝰ erat hostis, nōne Didoni procatores fuere plurimi? imò & ipsa Dido erat ne saxea ac lignea magis quā hodiernę sint, nō equidē ergo mente saltem ualens, cuius nō arbitrabat̄ posse uiribus euitare illecebras, moriens ea uia qua potuit euitauit. Sed nobis qui nos tā desertos dicimus, nōne si Christus refugiū est, ipse quidē redemptor pius in se sperantibus semper adest, an putas qui pueros de camino ignis eripuit, qui Susannam de falso crimine liberauit, te de manibus aduersantium non possit auferre si uelis? flecte in terram oculos & aures, obsera

obsera atq; adinstar scopuli vndas venientes expelle, & immota uentos afflare sine, saluaberis, insurget forsan & altera dicens, Erat mihi longe lateq; protensus ager, domus splendida suppellectilis regia, & diuitiarum ampla possessio, cupiebam effici mater ne tã grandis substantia ad exteros deferetur. O insanum desiderium, nõne & Didoni absq; filijs regnum erat? nõne diuitiæ regię? erant equidẽ, quod & ipsa mater effici recusauit, quia sapientissime arbitrata est nil stolidius fore q̃ tibi destruere, vt ædifices alteri, ergo castimonia maculabo, ut agris, ut splendidæ domui, ut suppellectili pariã possessorẽ, siue qd' contigit sæpissime destructorẽ, nõne etsi tibi diuitiæ ingentes, quę profecto expendendę nõ abijciendæ sunt, & Christi pauperes multi sunt, quibus dũ exhibes, tibi æterna pallatia cõstruis, quibus dũ exhibes, castimoniã alio fulgore illustras, præterea & amici sunt, quorũ nulli aptiores hæredes cũ tales habeas, quales ipsa quæsitos ꝓbaueris, filios aũt nõ quales volueris, sed quales natura cõcedet habebis. Veniet & tertio asserens, quia sic illi fuerit agendũ cũ parentes iusserint, cõsanguinei coẽgerint, et affines suaserint quasi ignoremus, ni qd' sua cõcupiscẽtia suasisset, imò effrenata iussisset, p̃dicta omnia frustrasset, negatione unica uoluit mori Dido ne viueret impudica, hæc ut pudica viueret, conubiũ negare nõ potuit. Aderit (suo iudicio) astutior cæteris vna, quæ dicat, iuuenis erã, feruet (vt nosti) iuuentus, cõtinere non poterã doctoris gentium aientis, melius est nubere quã uri, sum secuta consiliũ. O quã bene dictũ, quasi ego anniculis imperẽ castitatem, vel nõ fuerit, dum firmauit animo castimoniam iuuencula Dido, O cœleste facinus, nõ à Paulo tam sancto cõsilium illud datur, quin in defensionem facinoris persæpe turpius allegetur, exhaustas uires sensim cibis restaurare possumus, superfluas abstinentia minorare non possumus. Gentilis fœmina ob inanem gloriam feruori suo imperare potuit, & leges imponere, Christina ut consequeretur, ęterna imperare nõ potest? Heu mihi dum fallere deum talibus arbitramur, nosipsos & honori caduco (ut æternum sinam) subtrahimus & in præcipitium æternę damnationis impellimus. Erubescant ergo intuentes Didonis cadauer exinanire, vt dum causam mortis eius excogitant vultus deijciant, dolentes quod à membro Diaboli Christiculæ pudicitia superentur. Nec putent dũ lachrymas dederint & pullas assumpserint uestes, defuncto peręgisse omnia, in finem usq; seruandus est amor, si adimplere velint uiduitatis officium, nec existiment adulteriora uota transire, quod nõnullæ persæpe faciunt, potius ut suę prurigini sub ficto cõiugij nõie satisfaciant, quã ut sacro obsequãtur cõnubio et impudicitiæ labe careant, q; em̃ aliud est tot hominũ amplexus exposcere, et tot inire, quã post Valeriã Messalinã, caueas & fornices intrare, sed de hoc aliàs. Fateor tñ laboris incepti nimiũ excessisse terminos, sed quis adeo sui cõpos est, quin aliqñ ultra,

proposi-

propositum efferatur ab impetu: ignoscant quæso qui legerint, & nos unde diuertimus reuertamur. Didonem igitur exanguem cum lachrymis publicis & mœrore, ciues non solum humanis sed diuinis etiam honoribus funus exercentes magnificum extulere pro uiribus, nec tantum publicæ matris & reginæ loco, sed deitatis inclytæ eisq; fauentes assidue dum stetit Carthago, aris templisq; & ex cogitatis sacrificijs coluere.

DE NICAVLA ÆTHIOPVM regina. Caput xli.

Diues opum Nicaula fuit, ditissima mentis,
Qua plus pollebat, præclara indagine sacræ:
Hæc Arabum regina grauis, regem recutitæ
Gentis adoratum venit Solomona potentem.



NIcaulam extrema (ut percipi potest) Æthiopum produxit barbaries, quæ quidem tanto memoratu dignior est, quanto inter incultiores exorta moribus effulsit splendidior. Constat enim (si fides datur antiquis) hanc deficientibus Pharaonibus, seu eorum prolem, seu alteram Æthiopum atque Ægyptiorum (& ut nonnulli asserunt) Arabum reginam fuisse clarissimam & in Meroë Insula Nili per maxima habuisse regna, ibiq; tam grandi diuitiarum abundasse copia, vt credatur in hac uita ferè mortales excessisse

cæteros

cæteros: Quam inter diuitiarum delitias, non otio & molliciei fœmineæ deditam legimus, quinimò etsi præceptorem ignoremus, tanta earũ rerum peritarum scientiam præditam sensimus, ut mirabile visum sit, quod etiam sacrę testari uidentur literæ, quarum autoritate monstratur, hanc quam Sabam nominant audita scientia Salomonis suo æuo florentis fama, quæ celebris totum iam cõpleuerat orbem, dicunt fuisse miratam, cum consueuerint stolidi seu ignari floccifacere talia, non mirari. Et (quod longe magis) non sola mirata est, quinimò à maiore ferè altero orbis ex angulo, insigni relicto regno, per Æthiopes Ægyptiosq́; & rubri maris littora, atq; Arabum solitudines tam splendido comitatu tamq; magnifico sumptu, regioq́; per maximo famulatu, venit illum auditura Hierusalẽ, vt ipse Salomon regum omniũ ditissimus mulieris magnificentiam miratus sit. Quæ sum̃o cum honore ab eo suscepta cum ænigmata exposuisset quædam, & eorum solutiones cum diligentia audisset, ultro confessa est, Salomonis sapientiam longe famam atq; humanorũ ingeniorum capacitatem excedere, nec dubiũ dei dono, non studio quæsitam fuisse, inde dona exhibuit illi magnifica, inter quæ fuisse creduntur balsama, sudantes arbustulę, quas postmodum Salomon haud longe ab Asaltidis lacu plantari iussit & coli, demum uersa uice susceptis muneribus, summa cum laude in patriam rediit. Sunt & qui credant hanc eandem illam celsam Meroe reginam fuisse Candacem, à qua in posterum uti Pharaones ante, sic Ægyptij reges diu cognominati Candaces sunt.

DE PAMPHILE PLATRÆ filia. Caput xlij.

Nomine & ingenio claret hæc fœmina tantum,
Cætera quæ huc spectent, tulit hinc annosa uetustas.

PAmphilem quandam græcã fuisse fœminã cõperio, & cũ ex ea qua patria uetustas abstulit, patris tamẽ nomen benigna reliquit, nam cuiusdã Platræ fuisse filiam reperitur. Quæ etsi amplissimis titulis decorari non possit, quoniam aliquid reipublicæ addidit boni, sua laudis porcione taciturnitate fraudari non debet, nil enim noui quantumcunq; post factum uideatur facile ab aliquo cõpertum est, qđ non sit ingentis ingenij argumentum, & pro rei

qualitate aliquali gloria numerandum. Hanc igitur uolunt autores quibus fides præstatur aliqua, prima ex arbustulis volitantem bombycen collegisse, & illam à superfluis purgasse pectine, & purgatam apposuisse colo, ac etiam ex ea filũ trahere, & inde texere docuisse, & sic eius usum eo usq; incognitum induxisse, Cuius rei excogitata ratio ostendet facile quantum in reliquis agendis debuerit Pamphiles valuisse.

DE RHEA ILIA VESTALI virgine. Caput xliij.

Ilia Rhomulidæ mater, toto illustrissima cœlo,
Rhea fuit, regum, præter seriem, ipsa propago.

RHea Ilia generosi sanguinis præcipua claritate inter Italos emicuit olim, nam per Syluios Albanorum reges successiue regnantes, atq; descendentes ab Ænea inclyto Troianorum duce traxit originem, Numitore ex dictis Albanorum rege præstante. Ea quippe adhuc existente virguncula factum est, vt Amulius Numitoris frater iunior, inpulsus regni cupidine, iure gentium paruipenso, Numitorem vi regno priuaret, in quẽ ne sæuiret fraterna intercessit pietas, contentus ut ruri relegatus priuato vacaret otio, in Lausum uero adolescentulum Numitoris filium, vt regni amoueret æmulũ, animo truci desæuit, eoq; cæso Iliam Lausi sororem adhuc puellulã seruauit. Verũ ut illi auferretur connubij spes omnis & prolis, uestalibus uirginibus addidit eam, quam per petuam virginitatem profiteri coëgit. Quæ cũ ad pleniorem deuenisset ætatem, stimulis acta uenereis quo pacto nescitur, eam tamen in amplexus deuenisse uiri, turgidus patefecit uterus, nam prægnans effecta Romulum Remumq; Romanę urbis parentes ex uno eodemq; partu enixa est, quod ob crimen quantũcunq; regia fuerit fœmina, instituto ueteri regióque iussu expositi sunt filij, & ipsa uiua infossa est. Sanè etsi eius corpus terra obrutum sit, natorum opus egregiũ in sublime culmen ipsius nomen euexit, egitq;, ut id posteritati uenerabile foret, quod tyrannus lege sacra abolere conatus est. Hanc dum mente intueor, uideoq; sacras uestes, & sanctimonialiũ uelamenta Veneris, aliquandiu tegere furta, quin quorũdam insaniã rideam continere nequeo. Sunt qnidam qui ut auari portiunculam dotis natis subtrahant, sub prætextu deuotionis paruulas filias aut quandoq; puberes sed coactas, monasticis claustris nescio utrum dicam claudunt aut perdunt, aientes

se deo

ſe deo dicaſſe virginem, quæ intenta precibus rem ſuam deducet in melius, morientemq́ꝫ piorum lucrabitur ſedes. O ridiculum ſtolidumq́ꝫ ignorant ociosam fœminam Veneri militare, & ſumme publicis inuidere metriculis, earũque cellulas ſuis præponere clauſtris, & dum ſecularia coniugia ſpectant, veſtes ornatusq́ꝫ varios, choreas & feſtos dies, ſe nulla coniugij habita experientia, uere & ab ipſo uitę huius ingreſſu uiduas, deflent fortunam ſuam, parentũ animas, vittas, et clauſtra tota execrantur mente, nec alibi ſolaturæ mœſta prę cordia recurrunt quam inmeditationem, quo pacto in fugam carcerem erumpere poſſint, aut ſaltem intromittere mœchos inceſtum quærentes agere furtim, quod palam illis ſublatum eſt feciſſe coniugio, hæ ſunt (non dicam omnimum ſed plurimarum) contemplationes in deum, precesq́ꝫ tranſcendentes æthera, quibus aucti ſaluiq́ꝫ fient, qui illas intruſere carceri. Heu miſeri parentes & neceſſarij, quicunqꝫ alij dum aliàs poſſe perpeti quod ipſi nequirent, & fugiunt miſeri, perſæpe flentur ſtupra turpiſſima, infames partus, nepotes expoſiti, aut infanda morte necati, excluſiones ignominoſæ fugæq́ꝫ, & poſtremo dehoneſtatas oportet alere, quas honeſtas potuiſſet uarijs coniugibus coniungere. Sentiant ergo dementes, ſi alienas uires ſuis metiri non uolunt, quoniam non inſciæ, non paruulæ, non coactæ deo dicandæ ſunt virgines, quinimò perfectæ ab infantia patria in domo nutritæ, honeſtate, & probandis moribus imbutæ, ætate prouectæ, & quod agant integra mente noſcentes, ſponte ſua non coacte iugum ſubeuntes virginitatis perpetuę, quas rariſſimas inueniri arbitror, ſed longe melius eſt talium paruum eſſe numerum, quam multitudine illecebri dei ſanctuarium prophanare.

DE GAIA CYRILLA TARQVInij Priſci regis coniuge. Caput xliiij.

Otia qui fugiat, qui deteſtetur inertem
Vitæ progreſſum, tantæ ingenium mulieris,
Fœmineumq́ꝫ decus commendet laude decenti.

GAia Cyrilla, & si eius originis nullã stare memoriã cõpererim, Rhomanam tamen ab Hetruscam mulierem fuisse reor, et ueterum cõstat autoritate, quoniam Tarquinij Prisci Rhomanorum regis fuerit gratissima coniunx, hæc cũ esset præstantissimi ingenij fœmina, quantumcunq; regia cõiunx, & in regia esset domo, otio torpere passa non est, quinimò cum se lanificio dedisset (quod credã eo tempore apud Latinos honorabile) adeo erga illud egregiam opisicem, attamen solertẽ fecit, vt in hodiernũ usq; nominis sui fama protensa sit, nec æuo suo publico caruit munere, nã cũ apud Rhomanos amãtissima fœmina haberetur, nõdum marcentibus delitijs Asiaticis, instituto publico cautum est, vt ab intrantibus nouis nuptijs primitus sponsorum suorũ domos vnaquæq; rogaretur, quo vocaretur nomine rogatáq; se euestigio Gaiam vocari profiteretur, quasi ex hoc sumptura esset futuræ frugalitatis omen. Quod quantumcunq; apud insolentes modernorum animos videatur, perminimũ non dubitem, quin apud prudentiores huius seculi simplicitate pensata optime, et plurimum laudandæ mulieris uideatur indicium.

DE SAPPHONE PVELLA LESbia & Poëta. Caput xlv.

Fila lyræ inuenit cum plectro Lesbia Sapphò,
Sapphica quæ docuit modulis aptare sonoris.

SApphos Lesbia ex Mytilena vrbe puella fuit, nec amplius suæ originis posteritati relictum est. Sanè si studium inspexerimus, quod annositas abstulit pro parte restitutum, videbimus eã scilicet ex honestis atq; claris parentibus genitam, non enim illud vnquam degener animus potuit desiderasse vel attigisse plebeius. Hæc etenim (etsi quibus temporibus claruerit ignoramus) adeo generosæ fuit mentis, vt ætate florens & forma, non contenta solum literas iungere nouisse, ampliore feruore animi & ingenij suasa uiuacitate, conscenso studio vigili per abrupta Parnasi uertice celso, se fœlici ausu Musis non renuentibus immiscuit, & laureo peruagata nemore, in antrum usque Apollinis euasit, & Castalio proluta latice, Phœbi sumpto plectro sacris nymphis choream trahentibus, sonoræ citharæ fides tangere, & exprimere modulos puella non dubitauit, quæ quidem etiam studiosissimis uiris, difficilia plurimum uisa sunt. Quid multa? eo studio deuenit suo, ut usque in hodiernum clarissimum suum carmen testimonio ueterum lucens sit, & erecta illi fuerit statua ænea, & suo dicata nomini, & ipsa inter Poëtas celebres numerata,

merata, quo splendore profecto non clariora sunt regum diademata, non pontificum infulæ, nec etiam triumphantium laureæ. Verum (si danda fides est) vti feliciter studuit, sic infelici amore capta est. Nam seu facetia seu decore, seu alia gratia, cuiusdam iuuenis dilectione, imò intolerabili occupata peste, cum ille desiderio suo non esset accommodus, ingemiscens in eius obstinatam duritiem, dicunt versus flebiles cecinisse. Quos elegos fuisse putassem, cum tali sint elegi attributi materiæ, ni legissem ab ea, quasi præteritorum carminum formis spretis, nouum adinuentum genus, diuersis à cæteris incedens pedibus, quod adhuc ex eius nomine Sapphicum appellatur. Sed quid accusandæ videntur Pierides, tangente Amphione lyram, Ogygia saxa mouisse potuerunt, & adolescentis cor Sappho canente mollìri uidetur.

DE LVCRETIA COLLATINI coniuge. Caput xlvi.

Luce sua claret specimen Lucretia, fulgens
Fœmineo generi decus, & spectabile lumen
Durat, & æternum merita non laude carebit.



LVcretia Rhomanæ pudicitię dux egregia, atque sanctissimum uetustę parsimoniæ decus, filia fuit Lucretij Spurij Tricipitini clarissimi inter

Rhomanos uiri,et coniunx Tarquinij Collatini,olim Ægerij fratris Tarquinij Prisci filij. Incertum utrum oris formositate,an honestate morum inter Rhomanas matronas spetiosior visa sit. Quæ cum obsidente Tarquinio Superbo Ardeam ciuitatem,apud Collatij oppidum haud longe ab vrbe in uiri ædes secessisset,actum est, vt in castris cum obsidio traheretur in longum, cenantibus regijs iuuenibus,inter quos & Collatinus erat,& forte nimio calentibus vino caderet sermo de coniugum honestate. Et cum suam cæteris (vt moris est) unusquisq; præferret,in consilium hoc itum est, ut conscensis citatis equis visisq;,quibus noctu eis bella gerentibus ignarę coniuges exercerentur officijs,probabiliorem oculata fide perciperent. Sanè cum iuuenes regias Rhomani inter coæquales ludentes inuenissent, versis equis deuenere Collatium, ubi cum mulieribus suis lanificio vacantem, & nullo exornatam cultu inuenere Lucretiam,quamobrem iudicio omnium laudabilior uisa est. Collatinus autem reliquos iuuenes benigne suscepit in domum,in qua dum honorarentur, Sextus Tarquinij Superbi filius, impudicos oculos in honestatem atq; formositatem, castæ mulieris iniecit,& nefasto succensus igne, per uim potiundã,si aliter non detur eiusdem uetustatem tacito, secum consilio disponit. Nec multis interpositis diebus urgente insania, clàm castris relictis nocte uenit Collatium. Vbi (eo quod uiri consanguineus esset)à Lucretia comiter susceptus & honoratus. Postquam domũ omnẽ tacitam sensit,& sic omnes sopitos arbitratus exerto gladio cubiculum intrauit Lucretiæ,& quis esset aperuit,minatusq; illi mortem si uocem emitteret, aut suæ non acquiesceret uoluntati. Quam cum reluctantem desiderio suo,& mortis in pauidam cerneret,ad damnandam recurrens astutiam inquit,se illam secus, seruum ex suis occisurum,& cũctis eam à se adulterium cũ adultero cæsam dicere. Substitit his auditis tremebunda mulier,& à tã obscœna infamia terrefacta, timens si eo occideretur pacto,purgatorem suæ innocentiæ defuturum, & ob id aspernanti animo corpus permisit adultero. Qui cum illecebri uoluptati suæ satisfecisset, & abijsset iudicio suo victor,ægra tam scelesti facinoris Lucretia, elucescente die, Tricipitinum patrem & Brutum Collatini affinem amãtem, usq; in diem illam existimatum,aliosq; necessarios confestim accersiri iussit & uirum.
Quibus aduenientibus,quæ à Sexto nocte intempesta, in eam gesta sint cum lachrymis & ordine retulit. Et cum eam flentem misere solarentur affines, cultrum quem sub veste texerat educens inquit. Ego me,si peccato absoluo, supplitio non libero, nec ulla deinceps impudica Lucretiæ uiuet exemplo. Hisq; dominus illum in pectus impegit innocuum,& uulneri incumbens vidente viro ac patre moribunda collapsa est, nec diu & animam cum sanguine fudit. Infelix equidem pulchritudo eius, & tanto clarius, nunquam satis lauda-

tis laudata pudicitia sua dignis præconijs extollenda est, quanto acrius vi gesta in ignomina expiata. Cum ex eadem non solum re integratum sit decus, quod fœditate facinoris iuuenis labefactaret ineptus, sed consecuta sit Rhomana libertas.

DE THAMYRI SCYTHARVM regina. Caput xlvij.

Facta per & uires Thamyris miranda Scytharum,
Queis Cyrum excellit, quanquam grauis induperator
Ille fuit, solus totum qui rexerit orbem.



Thamyris Scytharum illustris regina fuit. Qui quidem Scythæ cum in sterili solo, & sub gelida cœli plaga Rhyphæis Hyperboreisq; annexi montibus sint, & inde sibi ferè tantum cogniti, ex quibus Thamyris sit orta parentibus, seu cui iuncta connubio incognitum est. Et ideo hæc tantum quantum ad insigne nobilitatis nota conspicua est, quod feris & indomitis populis imperarit, Cyro iam Asiæ regna tenente. Qui cum (forsan ut clarius nosceretur Thamyris) in cupidinem regis Scythici deueniret, magis ad suam gloriam extollendam quam impium augendum. Audierat quippe pauperes & syluestres homines Scythas fore, sed à maximis regibus eo usque inuictos fuisse. Hac ergo tractus auiditate in Thamyrim reginam uiduam egit

exercitum. Cuius cum pernouisset aduentum Thamyris, esto toti Asiæ & ferè orbi, gestorum amplitudine formidabilis foret, non tamen ut fœmina territa latebras petijt, seu leges pacis caduceatore postulauit medio. Quinimò congregatis copijs & belli dux facta, cum posset nauato opere obsistere, eum cum omni exercitu Araxem transire passa est, & suos intrare fines, arbitrata sagax fœmina longe melius expugnari Cyri rabiem infra terminos suos posse quam extra. Et certior facta eum ad interiora penetrasse regni, adulescentulo filio vnico tertia copiarum parte concessa iussit, ut Cyro obuiam pugnaturus procederet. Cyrus uero tam qualitate locorum & gentium moribus pensatis quam auditis, sentiens uenientem cũ exercitu iuuenem, fraude quam armis uincere statuit. Castrisq; uino quod nondum nouerant Scythæ, epulisq; & delitijs cæteris confectis relictis, fugam finxit. Quæ uacua cum intrasset iuuenis, quasi uictor hosteq; fugato, lætus cum Scythis, non ad bellum sed ad epulas inuitatus, ample cibos et pocula incognita ingurgitare cepere. Ex quo soluta disciplina militari somnus affuit, quo sepulti superueniens Cyrus illum cum reliquis dedit in mortem, & quasi certus uictoriæ ad vlteriora processit. Thamyris autem cum audisset suorum cædẽ, & si plurimum ob unici filij necem uidua moueretur, non tamen fœmineo more se lachrymas, quinimò illis ira & uindicta cupidirate sedatis, cum residuo copiarum, ea arte qua captum filium audierat, etiam si non committerentur referta poculis castra, hostem & si astutissimus esset capi posse existimauit, & locorum gnara, fugam simulans, auidum secutorẽ inter steriles geluq; horridos montes, non longo uiarum tractu deduxit, atq; conclusit, & inopem opportunitatũ ferè omnium, inter aspera saltusq; montium conuersa, cum omni exercitu ferè deleuit, nec ipse Cyrus euasit, quin cruenta morte uiduæ saciaret iram. Thamyris autẽ efferato animo, iussit inter cadauera Cyri corpus exquiri, cui comperto auferri caput, & in utrem sanguine suorum plenum immitti mandauit, & quasi superbo regi dignum exhibuisset tumulum, dixit. Sume sanguinem quem sitisti. Sed quid tandem? Nil preter hoc facinus Thamyris habemus tanto clarius, quanto Cyri maius fuerat imperium.

DE LEÆNA MERITRICE.

Caput xlviij.

Crimine fortunæ, noctes locat ære Leæna,
Quæ tamen, ex alijs, multo spectanda decoro,
Illa quod, est fœdum tacuit, quod turpe repressit.



LEænam arbitror Grę̨cam fuiſſe fœminam, quam (& ſi minus fuerit pudica) bona tamen honeſtarum matronarum atq; reginarũ illuſtrium pace, inter claras fœminas deſcripſiſſe velim. Nam, vt in ſuperioribus dictum eſt, claras ob quodcunque facinus mulieres non pudicas tantum, apponeretur pollicitus ſum. In ſuper adeo virtuti obnoxij ſumus, vt non ſolum quam inſigni loco conſitam cernimus, eleuemus: ſed obrutã crimine turpi in lucem meritam conari debemus educere. Eſt enim ubiq; pretioſa, nec aliter fœdatur ſcelerum contagione, quam ſolaris radius cœno inficiatur imixtus. Si ergo aliquando pectori deteſtabili officio dedito, eam infixam viderimus, ita deteſtari debemus officiũ, ut ſuæ laudes non minuantur virtuti, cum tanto mirabilior digniorq; in tali ſit, quanto ab eadem putabatur remotior. Quamobrẽ non ſemper meritricũ aſpernãda memoria eſt, quinimo dũ ob aliquid virtutis meritum ſe fecerint memoratu dignas, latiori lætioriq; ſunt præconio extollendæ, cũ in eis hoc agat cõperta virtus, vt laſciuiẽtibus reginis ruborem incuciat, cũ earum lubricos luxus excuſat reginarũ ignauia, præterea vt appareat non ſemper ingentes animos ſolũ, titulis illuſtribus cõnexos eſſe, & uirtutem neminẽ dedignari uolentẽ ſe, tam celebri mulierũ cetui adnectenda eſt Leæna, ut etiã in ea parte in qua ſtrenue egit, tanq̃ bene merita laudet̃. Leęna igit̃ turpi meretricio dedita, deteſtabili obſeq̃o fecit, ut eius origo ignoretur & patria. Hæc tñ regnante apud Macedonas Amynta, cũ Armonius et Ariſton egregij iuuenes, ſeu ob liberandã patriã turpi ſubiectã tyrãnidi, ſeu ob aliã impulſu cauſam Hyſpar imanẽ tyrannũ occidiſſent, inter alios à ſucceſſore tanq; geſtorũ conſcia, eo q eorũ cõtubernio uteretur, capta eſt, & cũ ad

prodendos coniuratos conscios diris coẽgeretur supplicijs, secum lubrica mulier quanti esset sanctum, & uenerabile nomen amicitiæ, pia uoluens consideratione, ne illi ut sibi parceret in aliquo violentiam inferret, primo diu ne diceret, quod quærebatur mira constantia animo imperauit suo, tandem conualescentibus cruciatibus & corporeis deficientibus viribus, timens uirilis fœmina, ne delibata uirtute corporea etiam eneruaretur proposito, in robur maius excessit, egitq́ vt æquè cum viribus et dicendi potestas auferetur, acri morsu linguã pręcidit suam et expuit, & sic actu unico, sed clarissimo spem omnẽ à se noscendi, quod exquirebatur tortoribus abstulit. Quis dicet Leænã nisi fortunæ crimine fornices inhabitasse? profecto nõ eam norat, qui fœminas dixit, id tacere quod nesciunt. Heu mihi, nõnunquã lasciuiens opulentia domus, & parentum indulgentia nimia, virgines deduxit in lubricum, quarum petulca facilitas, ni austeris coherceatur frenis, & à matribus potissime obseruantia retrahatur uigili, aliquando etiam non impulsam labitur, & si lapsus à desperatione decoris honestatis pristinę calcetur, à nullis demum viribus reuocatur. Hac ego puto Leænam desidia corruisse, non naturæ malitia, & potissime dũ virile eius robur circa cruciatus intueor. Quo equidem, non minus & muta prius, & inde præcisa eius lingua splendoris consecuta est, quam florida persæpe oratione apud suos ualens meruerit forsitan Demosthenes.

DE ATHALIA REGINA HIERUSALEM. Caput xlix.

Trux Atalia uenit tragico celebranda cothurno,
Publica pernities hominum, memorabile belli
Fulmen, & omne scelus, quo regna caduntq́ ruuntq́.

ATaliæ efferata mens, notiorem illam fecit Syiris Ægiptijsq́, quam oportunum Dauidico generi, esto domus eius vndique cruore seruorum ac multiplici cæde fœda, non minus nomini suo infaustæ claritatis addiderit, quam fulgoris diademata regum. Hæc igitur Achab regis Israhelitarum & Iezabelis, reginæ nequissime mulieris filia fuit, & nupta Ioram filio Iosaphat regis Hierusalem. Et tandem Iosaphat atque Ozia filio natu maiors, in quem morte patris deuenerat regni successio, de medio sublatis. Ioram vir eius præter opinionem rex Hierusalem coronatus est, qui & hanc coniugem suam uoluit esse reginam, cui splendori Achab genitore defuncto, Ioram frater eius patri suffectus suo filio non modicũ lucis iniunxit.

iniunxit. Temporis vero successu multis ante infortunijs agitata, vero iam defuncto Ochoziam filium suum vidit patris in throno sedentem, vt vndique mulier regijs coruscaret honoribus. Sanè cum & Ochozias sagitta ictus iuisset in mortem, trux mulier in desiderium regni accensa, cum memorabile excogitasset facinus, & animi satis ad perpetrandum collegisset, pulsa fœminea pietate, non solum dare lachrymas exanimi filio omisit. Quinimò in ampliores fletus, si fœmineum illi cor fuisset progressa, madente adhuc nati terra cruore, in omnem Dauidicę prolis posteritatem expediuit gladios, et tam diu in illam debacchata est, donec ex masculis nullum omitteretur, quin per vulnera in necem conpelleretur. Solus quidem immanitati suæ Ioas Ochozie regis paruulus filius subtractus est, ea minime aduertente. Nam Iosabe eiusdem filia, & Ochozię olim soror furtiue subtractum paruulum in domũ Ioadam, pontificis uiri sui seruandum nutriendumque tulerat. Et sic per tot impie occisorum sanguinem, mulier audax tanquam in vacuam suo opere possessionem regium conscendere solium ausa est, & regalia disponere cuncta. Quid Atreum? Quid Dionysium? Quid Iugurtham mirabimur? Homines acris ingenij, si regni cupidine tractos, per vulnera quorundam suorum imperij conscendisse apicem audiamus, postquam vt eo perueniret sobolem omnem regiam confodisse, nec suis proprijs pepercisse mulierem cernimus. Fulsit igitur diademate regio Athalia, equidem magis purpureo respersa cruore spectabilis, quã regia nota. Sanè sicuti ultro innocuas Dauidicæ, stirpis animas gladio truculenta sæuierat, sic in suos exasperatos alienos sensisse potuit. Iorã quidam Israhel regem fratrem suum in agro Nabaoth iacentẽ, & sanguinem per mille uulnera canibus exhibentem, uidisse cupiens potuisset facile. Sic & Iazabelem matrem regijs ornatam, è turri celsa deiectam, & discurrẽtium calcatam pedibus, atque adeo calcibus & rotarum orbitis attritam, ut in cœnũ uersa nullum infausti corporis remaneret uestigium. Sic & 17. fratres suos una hora apud Samariam uictoris iussu percussos, & circa Iezinelẽ ciuitatem eorum, palis infixa capita egregij facinoris argumenta præstantia. Sic & cæteros quoscunque cognatos, nec unus euaderet quin eiusdem percussoris ferro confoderetur. Et postremo ne sanguinum scelesta mulier pertransiret impune, se cum septem regnasset annis, opera Ioadam pontificis eleuato Ionas nepote suo in regnum, quem ipsa cum reliquis arbitrabatur occisum, è regia sede ui detrahi uidit, & clamante in eam populo, seruorum atque lurconũ manibus dedecorose ad portam usque mulorum, frustra calamitatẽ atque minantẽ deduci, ibique pro meritis trucidari, ut nõ alio tramite ad inferos pergeret nocua, quàm ire coëgisset innocuos. Sic agit diuina iustitia, quę & si differat nõ obliuiscit, agitque supplitio seueriori in quos diu expectatos mores mutari non uidet, quod dum

cogitare negligimus, credere nolumus, nec emendari curamus, & nos ipsos amplioribus flagitijs illigamus, dum minime arbitramur, absorpti procella dũ non prodest miseri commissa deflemus. Dira quippe præter ius regni concupiscentia est, & ut plurimum occupatio truculenta, in quam raro itur ex casu per fraudem, aut uiolentiam conscendas necesse est. Si per fraudem dolis, insidijs, per iniurijs, proditionibus similibusq́, agiteris, meditatione conuenit. Si uiolentia, iactationibus, tumultu, rumoribus, sęuitia, rabieq́ vexeris incumbit. Et per quam mauis iturus uiam es præparasse uires oportet, quæ omnes scelestorum hominum habentur opere, quibus nisi seruus efficiaris regni dominus esse non possis. Quid tandem? itur in thronum, obtures necesse est querelis aures, lachrymis, sceleribus cędibusq́ auertas oculos, in saxum duros præcordia, armetur credulitas, pietas excludatur, negligatur ratio, colatur iniuria, potestas sacris legibus auferatur, præstetur libidini, accersatur malitia, simplicitas ludatur, rapacitas luxuria ingluuies commendẽtur inclyti regis præeminentiæ, diuinis nec humanis parcatur sacra atq́ prophana misceantur, et misericordia pressa per summum nephas eatur in sanguinem, sternantur pij homines, impij sublimẽtur, stuprẽtur uirgines, in abusum pueri trahantur, ingenui dãnetur uirtus, et ignoscatur uitio, & ubiq́ pulsa pace triumphos agat discordia. O spectabilis regis accessus, sed quid in thronum per sanguinem, & indigna facinora itum est? O vtinam in quocunq́ modo quæsitũ innocue viueretur, illico urgente suspitione pressores pelluntur exilio, in pauperiem rediguntur diuites, relegantur amici ueteres, fratres, filij, nepotes, parentesq́ tanquã æmuli carcerantur & occiduntur, nulla fides, nulla sanctitas, iustitia nulla seruatur, anxie vigilatur, cum difficultate dormitur, nec cibus absq́ timore gustatur, pulsisq́ fidelibus scelestis omnis uita committitur. O pulchra, O appetenda, O laudanda quæsita ture possessio. Erat equidem satius gurgustiolum intrasse pauperis, plenum pace, plenum securitate, validum & solicitudine vacuum. Hæc ardua quanto cum cruore quæruntur, tanto cum timore tenentur, & qui fidos suspicantes omisimus, dum infidis procurante crimine nos ipsos committimus, fit persæpe vt eorum opere quales habuimus introitus, tales aut detestabiliores exitus habeamus, & una nostro cum interitu subtrahat hora, quod per multos infaustos dies nequiter fuerat congestum, Quod sero cognouisse potuit Athalia.

DE CHLOE-

DE CHLOELIA RHOMANOrum uirgine. Caput. L.

Tranat equo Tybrim, tandem cuſtode remoto
Chloelia uirgo manens, multo ſpectata pudore.



CHoelia inſignis uirgo Rhomana, à quibus parentibus originem traxerit, aut poſteris non reliquere priores, aut uetuſtate abolitum eſt, ſed eã ex claris natam ſatis arbitrari poteſt, cum generoſitas teſtetur animi, & quia pacis obſes inter alias nobiles Rhomanorum, Porſennæ Hetruſcorum regi tempore belli Tarquinij Superbi data ſit. Cuius ut laudandam audaciam uerbis amplioribus explicem aduertendum eſt, quoniam pulſo Tarquinio rege Superbo, ob ſcelus enorme Sexti filij in Lucretiam patratum, ne ſuccederent tentanti reditum fraudes, in bellum patens uentum eſt. In quod cum ueniſſet Porſenna rex Cluſinus, precibus Tarqunij accitus, & probitatem Horatij Coclitis pontem ſublitium defendentis, Hetruſci emouerentur à tranſitu, & nutu Scæuolę audatia atq; cõmento territis, ueniſſet in concordiam Rhomanorũ, & ad ſeruandam ſuſcepiſſet obſides plures, factũ eſt, ut cum alijs uirginibus pluribus mitteretur Chloelia. Cui cum forſan uideretur minus de re publica apud exterum regem tot detineri uirgines, in audatiam uirilem uirgineum pectus armauit, & deceptis cuſtodibus equum quẽ forte non ante conſcenderat, paſcentem ſecus Tyberim, nocte cũ multas eduxiſſet in ripam conſcendit, nec exterita profunditate fluminis aut aquarum uertiginibus, ſoſpi-

tes in

tes in aduersam partem omnes eduxit suisq; restituit. Quod à Porsenna mane compertum conquestus est, frequentiq; senatu iussum est, ut transfugarum dux regi restitueretur posceti, adiecto ut inuiolata suis in tempore redderetur à rege. Rex autem virginis miratus uirtutem, & delectatus audatia non solum ad suos illi concessit reditum, sed potestatem fecit, ut quos uellet ex obsidibus reliquis, posset educere. Quæ ex omnibus solum sumpsit impuberes, quod & honestati virgineæ commendabile uisum est, & vrbi fuit acceptissimum, eo quod eam potissime ætatem liberasset, quæ aptior uideretur iniuriæ. Quam ob causam à gratis ciuibus inusitati honoris genere decorata est, eique concessa equestris statua fuit, quæ in summo uiæ sacræ apposita diu permansit intacta.

DE HIIPPONE GRÆCA MVLIERE. Caput li.

Hostibus inuiolata manet crudelibus Hippo,
Præda potita male, castam, quam tollit aquæ uis.

Hippo græca fuit mulier, vt ex codicibus veterũ satis percipitur, quam uix credo unicam tantum, & optimo ualuisse opere, cũ ad altiora conscendamus gradibus, eo quod nemo summus repente fiat. Sed postquam uetustatis malignitate & genus & patria, ac cætera eius facinora, sublata sunt, quod ad nos usq; uenit, ne pereat, aut illi meritum subtrahatur decus, in medium deducere mens est. Accepimus igitur Hipponem hanc, casu à nautis hostibus captam. Quæ cum forte forma valeret sentiretq; prædonum in se pudicitiam suam teneri consilium, tanti castitatis decus existimauit, ut cũ nec per mortem seruari posse cerneret, non expectata uiolentia in vndas se dedit præcipitem, á quibus sublata uita, & pudicitia seruata est. Quis tam seuerum mulieres cõsilium non laudet? Paucis quidem annis quibus forsan vita protendi poterat castitatem redemit, & in matura morte sibi perenne decus quæsiuit. Quod virtutis opus procellosum nequiuit mare contegere, nec desertum auferre littus, qui literarum perpetuis monumentis, suo cum honore seruatur in luce. Corpus autem postquam ab vndis aliquandiu ludibrij more volutatum est, ab eisdem in Erythræum littus in pulsum, à littoranis naufragij ritu sepultum est, tandem cum ferret ab hostibus exorta fama quæ nam foret, & mortis causam, ab Erythræis summa cum veneratione sepulchri locus in littore, ingenti tumulo atq; diu mansuro, in seruati de-

coris

coris testimonium exornatus est, ut noscamus, quoniam nulla aduersæ fortunæ tenebris, lux possit obfuscari uirtutis.

DE MEGVLIA DOTATA.
Caput lij.

Munere magnifico dotis clarescere cœpit,
Hæc mulier, magni quam dotauere parentes.

MEguliam quam Rhomani ueteres cognominauere Dotatam, Rhomanam fuisse fœminam, atque nobilem reor rudi illo atq; (ut ita dixerim) sancto æuo, quo nondum ex ulnis paupertatis altricis optimi Quirites in splendores Asyaticos, & magnorum regum Gazas ea neglecta proruperant, illustrem habitam. Quæ quidam hoc Dotatæ consecuta cõgnomen est (ut arbitror) magis maiorum suorum prodigalitate, quam aliquo sui operis merito. Nam datis in dotem viro quingentis milibus æris, adeo monstrosum illo sęculo uisum est, vt danti sit Dotatę cognomen inditum, & per multa seueratum tempora, in tantum, ut siquid præter consuetum ciuium morem doti superadderetur cuiquam virgini, confestim & ipsa dotata Megulia diceretur. O bona simplicitas, O laudanda paupertas, quod tu monstrosum & merito arbitrari faciebas, ridiculum videretur lasciuiæ hodiernæ, in tantum enim mensuram vndiq; rerum excessimus, vt uix cerdo, vix lignarius faber, vix mercenarius, lixa, uel villicus ob tam paruam stipem comperiet, qui domum uelit vxorem inducere. Nec mirum etiam plebeiæ mulierculæ reginarum coronas, aureas fibulas & armillas & insignia reliqua adscripsere sibi, eisq; non dicam inuerecunde, sed superbe utuntur. Heu mihi, nescio vtrum dixerim, sic ampliati sunt animi, dum nobis inuicem nimium credimus, an potius (qd' verissimum arbitror) nostro crimine, sic exculta vitia sunt, ambitiones, & inexplebilia mortalium vota.

DE VETVRIA.
Caput liij.

Audet in aduersis animoso pectore rebus
Consilium chari, studia & contraria nati,
Frangere mulcendo dictis Veturia prudens.

VEturiæ nobilis & Rhomana mulier iam senex laudabili opere annos suos in viriditatem traxit perpetuam. Erat huic adolescens Cneus Martius strenuæ virtutis filius, consilio & manu promptus, & cum oppugnantibus Rhomanis Coriolos oppidum Volscorum, eius inclyta probitate captum videretur, Coriolani cognomen adeptus est, & tam grandem nobilitatis fauorem, ut omnia verbis & opera auderet. Quamobrē laborante vrbe añonæ penuria, & ope patrũ plurima ex Sicilia delata forēt, frumenta, seuera oratione prohibuit, ne plebi partirent̄ prius q̄ quos paulò ante insacro monte secedens, honores propter reditum nobilitati abstulerat, dimisisset. In quem infesta plebs ut erat famelica, manus profecto iniecisset, ni illi à tribuno plebis peropportune dies ad dicendam causam indicta fuisset. Qui cum nõ paruisset indignãs, exilio damnatus est, & in Volscos paulò ante Rhomanorũ hostes secessit. A quibus & benigne & honorifice susceptus, ubiq; enim virtus in precio est, hos iste tam sua quam Accij Tullij Volsci fraude bellũ aduersus Rhomanos redegit, & belli dux ab eisdem factus ad fossas Duxillas, ad quartum à Rhoma lapidem deduxit exercitum, eoq; rem Rhomanã redegit, vt à senatu qui pacem equis legibus impetrarent, ad eum exulē mitterentur. Quos Marcius atroci cũ responso dimisit in patriã, ob quod iterũ missi, sed minime recepti sunt. Iuere tertio cũ infulis velati pontifices & suis cũ insignibus supplices, sed frustrati rediere, & iam vndiq; desperatio Rhomanorũ intrauerat animos, tũ ad Veturiã Corioliani matrem et Volumniã coniugē frequentes, & querulæ venientes matronæ obtinuere, vt magno cõmeatu mulier, in castra hostium precibus lachrymisq; placatura filium postquã armis ab hominibus non posse respub. tutari videretur, iret cũ coniuge neq; eis ingens prosequentiũ caterua defuit. Cuius aduentum cũ cognouisset Coriolanus, et si animo turgidus esset consternatus, tñ matris aduentu, è sella cõsurgens exiuit tabernaculũ, & suscepturus illam obuius factus est. Sanè Veturia hinc coniugē hinc liberos, Coriolani tenens, non ante filiũ uidit, quã pietate patria posita, se succendit in iram, & ubi supplex exiuerat urbem in hostiũ castra ueniens obiurgatrix effecta est, & suscitatis in effœto corpore viribus inquit. Siste gradũ infeste iuuenis. Scire uelim anteq̃ in amplexus veniam tuos, an matrē, an captiuam hostē suscepturus aduenias, hostem puto. Me miserã in hoc exoptata mortalibus, tui longitudo deduxisse me debuit vt te, Damnatum exilio, & inde reipublicæ hostem cerneret. Cognoscis quæso, quo armatus hostis consistas

sistas in solo. Cognoscis equidem, & si nescis hæc est in quo genitus, in quo natus, in quo labore meo educatus es, quo igitur animo, qua mēte, quo impulsu hostilia potuisti inferre arma? Non intranti tibi parenti debitus honos, dulcis vxoris amor, filiorum pietas, & natiuę patriæ reuerenti obuij facti sunt, nō acre pectus mouerunt, non iras quantūcunq; iuste suscepta abrupuisse potuerunt, non dum primo illa spectares mœnia in memoriā uenit, ibi domus & penates patrij mei sunt, ibi coniunx & liberi ibi, infortunio suo & opere meo infelix mater est, venere patres, uenere pontifices, nec saxeum pectus mouisse potuere tuum, vt id rogatus ageres, quod sponte fecisse tua debueras. Satis me miseram aduerto, fœcunditatem meam, patrię mihiq; fuisse aduersam, vbi filium & ciuem peperisse arbitrabar, hostem & infestissimum atq; inflexibilem peperisse me video, satius quippe nō concepisse fuerat, potuerat sterilitate mea Rhoma absq; oppugnatione consistere, & ego misella anus in libera mori patria. Sed ego nil iam pati mihi miserius, quam tibi turpius possum, nec vt sim miserrima diu futura sum, de his natis tuis uideris, quos (si pergis) aut inmatura mors, aut longa seruitus manet. Verba lachrymæ secutæ sunt, & inde coniugis preces atq; natorū, & amplexus mutui, clamoresq; flentiū & orantium matronarū. Quibus uerbis & gemitibus precibusq; actum est, ut quod legatorū maiestas, & sacerdotū reuerentia nequiuerant, matris ueneratione ducis acerrimi frangeretur ira, & ꝓpositū uerteret, & suis cōplexis atq; dimissis, retro ab urbe castra hostiū mouerentur. Ex quo secutū est, ne gloriæ mulieris, ingratitudine detraheretur, ut ex senatu consulto eo in loco, in quo Veturia filij iram molliuerat, templum ad eius rei perpetuā memoriam, & ara fortunæ muliebri exerto construeretur lapide. Quod quidem & si uetustissimū sit, in nullo ferè diminutum, in nostrū usq; perdurat æuum, sanxitq; ut prætereuntibus mulieribus, quibus nullus uel minimus usque ad illa ætatem à uiris præstabatur honor, & assurgerent homines, uia cederent, quod nostra in patria ritu ueteri seruatur huc usq;, & quod eis liceret uti aurium uetusto orientalium mulierū insigni, & purpurea ueste aureisq; fibulis & armillis. Nec desunt, qui asserunt eodem senatus consulto adiectū, ut (quod ante non licebat) possent hæreditates consequi quorūcunq;. Huius igitur meritū uiris, ne exosum esse magis debeat, an mulieribus gratum, putant quidam pendere sententiam, quā ego certissimam reor. Nam ornamentis agentibus uirorū exhauriuntur substantiæ, & mulieres incedunt cultu insignite regio, depauperantur uiri maiorū hæreditatibus demptis, ditantur fœminæ consequentes honorantur insignes, honorantur etiam non illustres; multa his incōmoda, & illis cōmoda inde secuta sunt. Maledictis in Veturiam irē, ob ex his consecutam superbiā fœminis in suis precibus stetisset Rhomana libertas. Sed

 libera-

liberalitatem illam ſenatus nimiam, & perſeueratum per tot ſæcula dãnoſum morem, laudare non poſſum, minori fuiſſent cõtentę munere, per maximum uidebatur muliebri fortnnæ dicatũ templum. Sed quid? muliebris eſt mundus, ſic & homines muliebres. Quod autem aduerſum fuit hominibus ætas, quæ multa cõſumpſit utilia, conſumpſiſſe nõ potuit, nec minoraſſe mulieribus ius ſuum tenaci perſeueratione ſeruantibus. Veturiæ igitur applaudant, eius colant nomen & meritum, quotiens caris lapillis, purpura & aureis ornantur fibulis, & incedentibus à uiris aſſurgitur, otioſiſq́ morientium ſubſtantiæ minuantur.

DE THAMYRI PICTRICE.
Caput liiij.

In me ſi Phidias rediens iactaret ocellos,
Artem pingendi traderet ille mihi.



THamyris mulier æuo ſuo pictrix egregia fuit, cuius uirtus & ſi forſan ueternoſitas plurimum abſtulerit, nomen tamen egregium nec artificium adhuc abſtuliſſe potuit. Volunt hanc nonageſima Olympiade, filiam fuiſſe Myconis pictoris, uerum cuius cũ duos fuiſſe Mycones, et ambos pictores, & eodẽ tempore Athenis floruiſſe legamus, nõ diſtinguunt nec his paucis uerbis eam filiam fuiſſe Myconis, cui minoris cognomen additum ferunt. Sanè cuiuſcunq; fuerit, tam miro ingenio deſpectis mulieribus officijs,

officijs, paternam artem imitata est, vt regnante apud Macedonas Archelao singularem picturæ gloriam adepta sit in tantum, ut Ephesi apud quos honore præcipuo Diana colebatur, eiusdem Dianę effigiem in tabula quadam manu eius pictam, tanquam celebrem seruauerunt diu. Quæ cũ in longissimam ætatem perseuerasset, artificij huius testimonium tam grande præbuit, ut in hodiernum usque memorabile uideatur. Equidem laudabile plurimum, si prospectemus fusos & calathos aliarum.

DE ARTHEMISIA REGINA Cariæ. Caput lv.

Hæc Cariæ regina fuit uenerabile pectus,
Mausoli regis magni castissima coniunx,
Quæ Mausolæum mundi mirabile monstrum,
Extruit ecce uiro, ingenti quem ardebat amore.
Cœlibis hic uitæ specimen prægrande uidere est.

ARthemisia Cariæ regina fuit ingẽtis animi fœmina, & sanctissimi amoris atq; paratissimi, & integræ uiduitatis exemplum, posteris sempiternum. Hæc esto à quibus progressa parentibus, nec ex qua fuerit patria in dies nostros uenerit, satis ad eius nobilitatis laudem est nouisse, eam Mausoli, tam potentissimi regis Cariæ fuisse cõiugem, quem adeo dilexit in uita, ut superstes mortuum obliuisci non posset, cuius rei stetere diu insignia monumenta, nam si fides claris scriptoribus præstanda est, cum primum uir amantissimus clausisset diem, exquisitis cadauer eius honoribus extulit, nec passa est post funebres ignes, collectos diligenter cineres aurea in urna seruandos condi, existimans tam amati coniugis omne aliud uas incongruum esse, præter id pectus, in quo ueteris amoris flammę longe plus solito eo defuncto flagrabãt, quamobrẽ ut ibi, quod terreũ superat, consisteret, quo perpetua pręteritæ uitę memoria consistebat collectos, donec explerentur, immixtos paulatim poculis exhausit omnes, uita residua perpetuis dicata lachrymis, et sic humore consumpto se ad uirũ iturã credens læta deuenit in mortẽ, uerũ uidua ingentia peregit facinora, uetus fuit consuetudo, uiris egregrijs insignia sepulchra erigi, qđ ut amori cõforme apparet opus, Arthemisia mirabile nimis, & sumptuosum auaritia omni seposita, excogitauit, nec uno nec populari cõtenta artifice, Scopam briaxẽ, Timotheũ atq; Leotharẽ, quos eo sæculo totius orbis cõspectiores prædicabat Grætia, accersiri iussit, fecitq; iuxta eorũ iudicium Mausolo

magnificum designari Mausolæum, & paratis marmoribus cõstrui, & ob mirabile opus illud, si aliter non daretur dilecti uiri nomen efficeretur æternum. Cuius quidẽ, eo quod tã arte, quàm impensa omnia ferè orbis ædifitia excesserit, & inter septẽ mundi miracula, unũ diu memoratum sit, singularẽ fecisse mentionem non erit absurdum, nã virebit artificium fama & mulieris inclytæ fiet magnificentia clarior. Architecti igitur apud Halicarnasum præcipuã Cariæ ciuitatẽ reginæ iussu quadratũ in forma firmauere bustum, & quæ austrũ & arctos prospectant facies, sexaginta trium pedũ, in longitudinẽ deduxere breuiores reliquæ fuere, & illud in altitudinẽ centum quadraginta pedum extulere, & ut omne cingeretur, triginta sex columnis marmoreis voluere, Cæterum eã partem quæ spectat Eurum, Scopã sculpsisse dicunt, eã vero quę in Boream uergitur, Brixadem, cũ eam quę in occiduũ uersa est Calendam sumpsisset Leothares, quarta Timotheo relicta, qui in sculpendis statuis, & historijs alijsq́ue operi cõtingentibus tanta solertia vires ingenij expressere, cupiẽtes singuli anteire magisterio reliquo, ut uiuos è marmore uultus eduxisse, nõnunquam à perspectantibus creditum, ac nedũ tunc sed multa per sæcula visum sit, pro gloria manus ibidẽ decertasse artificum, nec cõtigit Arthemisiã opus, tã celebre perfectum vidisse morte subtractã, tamen ob reginæ obitum nõ reliquere opus artifices, quinimò arbitrantes illud futurũ suorum ingeniorũ posteritati documentum, certisissimũ in finẽ, usque quod cœperant deduxerunt. Sed accessit iterum quintus artifex qui altitudinẽ superioris Pyramidis, per xxiiij gradus æquauit, & his superadditus sculptor sextus Pythis dictus, cuius opus fuit quadriga marmorea, fastigio totius ædificij superaddita, huic tã eximio operi perfecto à Mausolo rege, pro quo factum fuit Mausolæum nomen impositũ est, à quo tamen tanquam à digniori sequentium regũ sepulturæ, Mausolæa denominata sunt, clarus ergo Arthemisiæ coniugij amor, clariores perseueratio viduitatis & lachrymæ, nec minus sepulchrum spectabile, seu sculptum uelis, seu Arthemisiæ pectus, in quo poti uiri mortui cineres quieuere. Cæterum nõ his tamen extollenda laudibus Arthemisiæ uirtus inclusa permansit, nã & virili robore et audatia, ac militari disciplina plurimũ valuit fœmina, & triũphis maiestatẽ sui nominis exornauit. Hanc quidem (et forte sæpius) saltẽ post viri mortem positis ad tempus lachrymis, bis arma sumpsisse legimus primo, ut saltem patriã tutaretur, secundo vt socialem fidẽ requisita feruaret. Nã mortuo Mausolo cũ indignarentur haud longe ab Halicarnaso, Rhodij mulierẽ regno Carię preesse, armata classe quasi certa spe potiundi, frequens ad occupandã illud venere. Sanè Alicarnasus ciuitas mari iminens Icareo, in loco natura munito sita est, gemĩos habens portus, quorũ unus qui minor dicitur, in urbem arcto introitu, quasi abscõditus sic iacet, vt in illũ ex regia illi iminente, opportuna oĩa parari atque deferri,

nemine

nemine ciuium nedum exterorum vidente, poſſint, qui regiã ſeruãt, alter qui maior eſt, ſecus urbis mœnia aperto mari cõtiguus eſt, inquẽ cum Arthemiſia nouiſſet acceſſuros Rhodios, ſuos iuſſit eſſe in armis, & aſſumptis Nautici ſocijs et Epipatis, quos opportunos ad peragendum iã cõceptum aĩo facinus in regiã imperauit ciuibus, dum ſignum ipſa daret applauderent Rhodijs, eosq̃ è muris vocarent, eiſq̃ ſpem deditiõis facerent, & ſi poſſent in forum uſq̃ contraherent, demũ e veſtigio (quomodocunq̃ factum ſit) minime aduertentib9 hoſtibus, à portu minori in amplum mari erupit, et cum uideret ſigno dato, iã Rhodios à ciuibus euocatos relicta claſſe, tanq̃ victores curſim in forum tendere, infeſtis nauibus & maximo nautarũ conatu, Rhodiorũ occupata vacua claſſe, & clamore ſublato in Rhodios undiq̃ ciues ſuos iuſſit irruere, q̃ ob cauſam actum eſt, cum nõ eſſet fugæ locus Rhodijs, vt ab Alicarnaſijs cederent omnes, hoc peracto, Arthemiſia laureata Rhodiorum claſſe, proras dixerit in Rhodum, Rhodij autem è ſpeculis videntes laureas, claſſi ſuos obtinuiſſe credentes, patefacto portu, portiſq̃ ciuitatis nõ aduertentes, uictricem hoſtem loco ciuium ſuſcepere & ſic, eorum repente ab Arthemiſia ciuitas occupata eſt. Iuſſitq̃ à victrice Rhodiorum principes cædi, aſt hinc trophæum parte victoriç ſignum, in foro Rhodiorum mandauit erigi, actumq̃ eſt, ut duæ æneç ſtatuæ leuarentur in publico, à quarum altera uictricis Arthemiſiæ repræſentabat effigiem reliqua uictæ Rhodiæ ciuitatis, in qua ſtẽmatibus poſitis, quod ab ea eſt ſignificãtibus uectigalem ſibi domum rediens inſulã liq̃t, præterea cũ actum aduerſus Lacedęmonas Xerxes Perſarũ rex, potentiſſim9 terras pedeſtribus exercitãtibus cõpleſſet, et littus omne occupaſſet claſſibus, omnẽ (ſuo iudicio) nõ capturus, ſed ſorpturus Grętiã, requiſita Arthemiſia cũ armatis nauibus uenit in bellũ, fractiſq̃ iã terreſtribus Xerxis copijs, cũ in cõſpectu Salamine in nauale prælĩu, Xerxis claſſis & Arthemiſiæ ſub Themiſtocle duce cõueniſſent ſpectãte ex tuto, Xerxe, Arthemiſia inter primos principes ſuos exhortans, atq̃ acriter pugnãs, quaſi cũ Xerxe ſexũ mutaſſe uiſa eſt, adeo, ut ſi tã audax robuſtuſq̃ Xerxi fuiſſet animus, nõ de facili claſſis eius proras uertiſſet in fugã. Sunt tñ qui velint nõ Artemiſiã hanc fuiſſe, ſed Artemedorã eam Halicarnaſi reginã, aſſerentes in teſtimoniũ ſuæ credulitatis nauale bellũ Xerxes, apud Salaminã Olympiade ſeptuageſima quarta fuiſſe cõmiſſum, cũ centeſima conſtet Mauſolæum ab Arthemiſia fuiſſe cõſtructum. Ego quidẽ his adhæreo, qui vnam & eandem fuiſſe Artemſiam & Artemedoram putant, cum quæ de Arthemiſia certa narrantur, plurimum fidei incertis de ſe exhibeant et auferant alienis, quicunq̃ tamen legerit qđ quod maluerit, illud credat, ſeu una, ſeu duæ fuerint, opus quidem fuit fœmineum unumquodque. Sed quid Artemiſiæ acta ſpectantes arbitrari poſſumus, niſi naturæ laborantis

errore factum, vt corpori cui deus virilem magnificamq́ꝫ insuderat animam sexus fœmineus datus sit.

DE VIRGINEA VIRGINE. Caput lvi.

Heu facinus crudele, decor formæ, extitit omnis,
Virginea infelix, pater infelicior ecce
Virgine, quam gladio vindex raptauit ab hoste,
Concubitus agitante nequam, fœdeq́ꝫ procanti.

Virginea nomine, & facta Rhomana uirgo pia est recolenda memoria, fuit enim insigni decoris cõspicua, & Auli Virginei plebei hominis, sed honesti filia, quæ esto optimæ esset indolis, non tantum tamen sua cõstantia clara, quantum scelere amantis infausti & seueri nimium patris facinore, ac ex illo Rhomanorum libertate secuta facta est. Hæc equidẽ imperantibus iam anno secundo Rhomani urbi decemuiris, à genitore Lucilio Icilio tribunicio, ac acri iuueni desponsata est, eiusque forte distulerat nuptias, expeditio à Rhomanis in Algidũ aduersus Æquos sumpta, eo quod in eadem Virgineus militaret, quibus sic se habentibus infortunio Virgineæ factum est, vt Appio Claudio decemuiro, qui ad vrbem tutandam cũ Spurio Appio ex socijs militantibus solus remanserat, eius adeo formositas placeret, vt ab eo amaretur perdite. Cuius adhuc tenella virgo, cum frustrasset blanditias, nec donis ingentibus, necꝫ precibus, ac minis flecteretur imbutũ sanctitatepectus, tanto insano feruore succensus est Appius, ut cũ in varia labentem voluisset animũ, nec satis tutum, vim publice inferre arbitraretur, in fraudem ingenium verteret, egitq́ꝫ ex composito, vt Marcus Claudius eiusdem libertus homo audatiæ primæ, transeuntem aliquando virginem secus forum quam primũ daretur occasio, tanquã suum mancipiũ fugitiuum arriperet, & in suam deduceret domũ. Et si quid forsan obstaret incœpto cõfestim se corã eo in causam traheret, quã cũ paucos post dies ausu temerario transeuntẽ cepisset Libertus, & suã diceret, proclamante virgine atqꝫ pro viribus impuro homini obsistente, iuuantibus matronis, cũ quibus una incedebat, factus est repente hominũ concursus, inter quos & aduenit Icilius, et multis hinc inde dictis eo uentum est, ut in prætoriũ coram amante iudice ductã, vix ab ardente Appio, vt usqꝫ in diẽ futuram differretur iudiciũ obtentũ est. In qua nil proficiente Claudij fraude, qua itum erat in castra, ne veniret Rhomã, si uocaretur Virgineus permitteretur

retur à ducibus, euocatns affuit præsto pater, et cum filia & reliquis amicis, & Icilio sordidatus uenit in curiã, ubi econtrario Marco Appio mancipiũ petenti non audito Virgineo, à libidinoso præside Virginia tanq̃ fugitina serua adiudicata est, quam cũ capere voluisset Marcus, & multa frustra in Appiũ dixisset Virginius, ab eo tandem ira frendente obtentum est, vt sibi saltẽ paululum & nutrici loqui phas esset, vt forte erroris veteris cõperta veritate, mancipiũ minori cũ noxa sui cõcederet. Cumq̃ cũ eis apud Cloatinas tabernas in conspectu tamen curiæ euasisset sumpto lanij cultro inquit, qua possum uia dilecta filia libertatem tuã vendico, & omnẽ uirgineo infixit pectori maximo dolore spectantiũ, ex quo infelix virgo concidens cernentibus cunctis astantibus sanguinẽ cũ anima fudit, et sic libidinosi Appij per ĩnocentis cedẽ spes turpissima exinanita est, & opere Virginij & Icilij facta secunda plebis successione actum est, vt decẽuiri coacti abdicarent imperiũ, & Rhomano populo quã occupauerant libertatẽ linquerent. Nec multo post Virginio plebis tribuno procurante, Appio Claudio dies dicta est, Qui cũ causam dicturus accederet, in carcere iussu Virginij tractus & cathenis implicitus, ut meritũ effugeret dedec9, manes innocuos piaret Virginiæ laqueo seu gladio, uel veneno ibidẽ uitã eiecit. Temerarius aũt cliens, Marcus Claudius crimen non qua debuit uia, nam fuga tutatus defleuit exilio, bonis tam patroni q̃ suis redactis in publicũ. Nil perniciosius iniquo iudice. Hic quotiens scelestę mentis imperium sequit̃, omnis iuris ordo peruertatur necesse est, legis potestas soluatur, virtutis eneruetur opus sceleris laxentur habenæ, & breuiter omne bonum publicum in ruinã trahat̃. Quod si non satis, alias apparet nepharium Appij cœptum, & quæ inde secuta sunt in lucẽ deducunt. Nam dũ male libidini suæ potens homo frenum poneret, ex libera seruã, ex uirgine adulterã, ex desponsata pellicẽ, per imbutũ fraude libertũ ferè peregit, suoq̃ detestabili decreto factum est, vt armaretur pater in filiã, uerteretur pietas in seuitiã, & ne uoto fraude quęsito gauderet incestus homo occideretur innocua, clamaretur in urbe, tumultuaretur in castris, separatio plebis à patribus oriretur, & ferè in discrimen res omnis poneretur Rhomana, O præses iuclytus, et legumlator egregius, quod in alios diro supplitio punijsse debuerat, ipse perpetrare ueritus non est, heu mihi, quotiẽs periclitamur peste mortales, quotiens in exitiũ inmeriti trahimur, et turpi premimur iugo, angimur, spoliamur, & occidimur urgente nequitia. Quid hoc mali est, nõ uerentur præfecti quod intẽperamentum libidinũ adinuentũ est, ubi nullo dei timore territi in licentiã uertere scelerum. Et cũ oporteat pręsidẽ oculos et in aĩm æque pudicos habere, eloqum mite, graues sanctosq̃ mores, & manus à muneribus omnino im̃unes, nõ oculis tm̃ sed insana mente lasciuiunt, nec legũ sed lenonũ sequunt̃ inditia, supbiũt, nec mitescũt nisi meretricula imperet,

imperet, aut iras leniat aurum, nec solum dona suscipiunt, sed exposcunt, mercantur, & subtrahunt & in uiolentiam usq; si aliquid nequit, fieri quod cupiunt, furore succensi prorumpunt, & sic optime legum interpretes facti, hinc luxuria, inde pecunia, in cassum pro nostris ius poscitur, nisi ab his uel ab earũ altera suffragia impendantur.

DE HYRENE CATINI filia. Caput lvij.

Herbarum flores multo ingenio depinxit Hyrene,
Quæ calamo tereti potuit superare Magistrum.

HYrenes utrum fuerit Græca mulier, ac qua floruerit ætate nõ satis certum est, Græca tamen creditur. Constatq; eam Cratini cuiusdam pictoris fuisse filiam atq; discipulam. Quam tantum laudabiliorem existimo, quantum artẽ & fama videtur superasse magistrum, cum eius adhuc in pluribus nomen vigeat, existente patre (nisi per eam) ferè innominato, excepto si is fuit, de quo legitur, qui frondes atq; radices herbarum omniũ, ad earũ prestandam notitiã in forma descripsit propria, esto, hic Cratinax nõ Cratinus ab aliquibus nominetur. Huius autem Hyrenæ celebre fuit ingenium, & artificium memorabile, cuius quidẽ magisterij in longum argumenta fuere, puella quædam quæ apud Eleusinam ciuitatẽ diu in tabula uisa est, sic & senex Calypso, præterea & gladiator Theodorus, nec non & Abstitenes suo tempore saltator egregius. Quæ ideo, quod officium est à fœmina, ut plurimum alienum, nec absq; vi maxima ingenij consecutum, quod in eis tardissimum esse consueuit, dignum aliqua celebrari laude ratus sum.

DE LEVNTIO. Caput lviij.

Ausa fuit mulier, furijs agitata malignis,
Et studijs imbuta malis, perstringere doctos
Philosophos, grauium autores incessere rerum.

LEuntium si satis bene arbitror Græca fuit mulier, & forsan Alexandri magni Macedonici regis æuo conspicua. Cuius si matronalem pudicitiam seruasset, tamen ingenij eius per maximæ fuerint vires, longe fulgidior nominis fuisset gloria, Veterum enim testimonio tantum in studijs literarum ualuit, vt inuidia percita, aut muliebri temeritate impulsa, in Theophrastum

celeber-

celeberrimum ea tempestate philosophum, scribere inuehendo ausa sit, quod ego non vidi. Sanè postquam per tot secula in ætatem usq; nostram fama deuenerit non minimum fuisse, nec etiam paruæ facultatis indicium existimare possumus, esto inuidi animi, sit certissimum argumentũ, & si adeo studijs tam splendidis valuit, nõ facile credã eam ex plebeia fece duxisse originem. Raro quippe ex ea sorde ingeniũ sublime surgit, nam etsi quãdoq; è cœlo infundat̃, caligine extremæ sortis claritas eius opprimitur. Sed quid progenitorum generosus sanguis, si morũ indecentia sit, ueri possunt fulgoris impendere, Si amplissimis fidem præstemus, hęc sepòsito pudore fœmineo meritrix, imò meritricula fuit. Heu facinus indignum, inter lenones, impurosq; mœchos, & scorta atq; fornices versata, potuit magistram rerum Philosophiã, inhonestas in cellulas & ignominosis deturpare notis, atque impudicis calcare vestigijs, & cloacis im̃ergere fœtidis, si Philosophiæ splendor obfuscari, potest impudici pectoris labe, dolendum equidẽ est, ingenium tam celebre sacro superumq; munere dato, adeo spurcido exercitio subijci potuisse Ædepol nescio, utrum illam fortiorem dixerim, in tam scelestum locum Philosophiam trahendo ad Philosophiam ipsam remissiorem, doctũ pectus subigi lasciuijs promittendo.

DE OLYMPIADE MACEDONIÆ. Caput lix.

Vnus Pelleo iuueni totus non sufficit orbis
Splendet Olympias, & mundo clarescere toto
Cœpit, ob eximium dederant, quem fata tyrannum.

OLympias Macedonum regina titulorum multiplitium fuit illustris. Primo quidem sicut possunt stemmata aliquod claritatis afferre mortalibus ex Æacidarum sanguine, qui tunc præ cęteris totius Græcię seu Orbistarum habebatur splendidior, Neoptolemi regis Molossorum filia traxit originem, et cum illi ab infantia Mustulis nomen esset, Olympias (ut placet aliquibus, primo vocata est, præterea & Alexandrum Epiri regem fratrem habuit, & Macedoniæ Philippo mortuo filium Alexandrum, cuius tam ingentia fuere facinora, ut qui superaret illum gloria, inani tamen, nec audiretur natus, nec nasceretur inposterum, quod Olympiadi non modicũ fulgoris adiunxit, si matribus fulgor est præstantes peperisse filios, sed nõ omnino iubar hoc euasisse potuit, quin notis aliq̃n iniectis frustraret̃, esto, ex illis Olympias euasisset notior, nã adulterij illecebra eius ætate florente Olympias labefacta est qua

est qua nil ferè dedecorosius reginæ contigisse potuit, & quod turpius fuit suspicatum est, Alexandrum adulterio genitum, qui quidem suspitio adeo commouit Philippum, vt non solum aliquando palam diceret ex se non genitum Alexandrum, verum & Olympiadem ignomina notaret repudij, & Cleopatram Alexandri Epirotæ filiam in vxorem duceret, quod quantum Olympias ægre tulerit, dissimulare non potuit, namq; vsq; in diem illam, hac excepta labe, regijs tantum fulgoribus clara erat, enormitatibus varijs sese fecit insignem. Creditum quidam est à se agitatum, atq; impulsum Pausaniam iuuenem ex splendido Horestis sanguine natum in Philippi viri sui necem, conscio etiam Alexundro, nam Pausaniæ ob occisum Philippũ in cruce pendentis caput, opere Olympiade mane sequẽti à die, qua cruci affixus fuerat, aurea insignita corona compertum est, & paucis interpositis diebus Olympiade iubente, eius cadauer depositum super reliquijs regis Philippi, honorifice Macedonico ritu exustum est, & funebri cum pompa sepultum, gladium præterea quo Philippum Pausaniam occiderat, regina sub nomine Nuscalis in templo Apollinis iussit apponi, & Cleopatram sibi super inductam post illisam saxo filiam, in tantum exasperauit uerbis & ignomina, ut miseram ad laqueum induendum compelleret. Aucto tandem maximis uictorijs filio Alexandro, eoq; apud Babyloniã ueneno absumpto, & Alexandro ferè apud Lucanos cæso, ac Arideo Macedoniæ rege & Euryce coniuge, eam Macedoniam abs que Epiro uenientem, intrare prohibentibus fauore ueterum Macedonũ datis in mortem, Macedoniæ regnum sola obtinuit uidua & regina. Verum cum passim in cruorem tam nobilium, quam plebeiorum Macedonum, quasi belua baccharetur à Cassandro in Epidua ciuitate obsessa est, adeóq; coacta, ut una cum oppidanis rerum omnium inopia deueniret infamem, qua cogente actũ est, ut conditionibus appositis se in fidem Cassandri committeret, qui fraude exornatis occisorum amicis, post deditionem in mortem postulata est. Ad quam occidendam cum Cassander, ubi detinebatur, scelerum ministros intromisisset, ea iam aduertente se manu uenientium morituram, duabus innixa ancillis imperterrita surrexit, & uestimentis crinibusq; compositis, ne quid cadens uideretur inhonestum, nec orare passa est, nec audita uoces, ac ullulatus fœmineos emitteret, quinimò percussoribus obuia facta paratum, in uulnera corpus obtulit ultro, quasi paruipenderet, quod robustissimi etiam homines consueuere ut plurimum expauescere, actu illo confessa, se nece extitisse imperatoris tam egregij genitricem.

DE CLAV-

DE CLAVDIA VESTALI virgine. Caput lx.

Cernere qui volet hic ſpecimen, pietatis & ingens
Exemplum, uideat qualis ſit Claudia virgo.

CLaudiam Veſtalem virginem digne, ex Rhomanorum ſanguine procreatam crediderim, dum intuear inſignem pietatem eius in patrem. Pompa quippe ſpectabili præ ſe, ex ſenatus cõſulto triumphum pater agebat ſequenti Rhomanorum, ſpectante plebe cum ſe tribunorum plebis, vnus ob priuatam ſimultatem, in eum non aliter quam in male meritum prorumpens, dedit in medium, & inſolenti more tribunitio audatia, violentas manus in triumphantem inijciens, eum de curru euoluere conatus eſt. Quod cum inter ſpectantes Claudia virgo conſpiceret. Illico urgente pietate commota triſtis, & oblita ſexus honeſtatisq́ꝫ vittarum, quibus obtecta erat, pati non potuit, quinimò repente medias inter cateruas impetuoſa prorumpens, & ſibi audaci uiſu cedere turbam cogens, inter tribuni arrogantiam, & patris gloriam ſe indefeſſo robore miſcuit, & (quibuſcunqꝫ auſis factum ſit) amoto tribuno liberum in capitolium patri conceſſit aſcenſum. O dulcis amor, O infracta pietas, quid credemus uires imbecilli corporis præſtitiſſe uirginis, quid religionis obliuionem iniecíſſe, præter eum cernere iniuria opprimi, quem meminerat infantiæ ſuæ educatorem, & pijs delinitorem blanditijs, uotorum in ſuam ſalutem exhibitorem noxiorum amatorem omniũ, & prouectioris ætatis inſtrutorem, ſed ut de hoc ſatis dictum ſit, quæſo ſuis ob hoc tumultuantibus hominibus, ſanctimonialem immixta uirginem de inhoneſtate redarguet, quis temerariam dicet, quis tanquam in tribunitiam poteſtatem, auſam iure damnabit, cum adeo pulchrum atqꝫ memorabile pietatis opus intutandum patrium decus egerit, ut etiam robuſtiſſimus iuuenis, acriora animo feciſſe nequiuerit. Equidem non immerito dubitem, quis ſpectabiliorem triumphum, an pater in capitolium traxerit, an nata in ædem reportauerit, ueſte.

DE VIRGINEA LVCII VOlupini coniuge. Caput lxi.

Hæc prece multa fuit, diuino numine tincta,
Relligioſa ſubin, ſacris deuota ſacellis.

VIrginea apud Rhomanos equidem clara matrona fuit, altera tamen à superiori, esto æque auli eiusdē, sed patricij uiri fuerit genita. Hęc etenim præter nobilitatis insignia, suo æuo castimoniæ meritis, cæteris fuit præferenda Rhomanis, cuius actū unicum, sed laudatissimum retulisse ad eius omnē uitam recognoscendā, eiꝙ claritatem meritam impendendam sat erit. Vt satis ergo cōstat fuit olim in urbe Rhoma, in foro Boario ad rotundā Herculis ædem, sacellū celebre Patriciæ Pudicitię, dudum à nobilibus mulieribus per sancte dedicatū, in quo Quinto Fabio et Quinto Publio Decio modo quarto consulibus, cū senatus iussu uti, & in cæteris templis supplicationes ad expianda prodigia fierent, & ibidē Patriciæ tantū fœminæ sacra ritu veteri castissime peragerēt: cōtigit, vt Virginea cū cæteris peractura sacrū accederet, à quo cum matronis patricijs imperantibus superbe semota esset, eo quod Lucio Volumino plebeio homini, anno tamen præterito cōsuli nupta foret, breuis apud sacrā ædem fœminea altercacō orta est, quæ tandē muliebri indigna, cōmune in maius animorū incendium sese extulit. Cæterum cū se dixisset Virginea, & pudicam esse & patriciā, ex templo Patricię Pudicitiæ arceri minime deberi, eo ꝙ plebeio homini virgo nupsisset, & gesta uiri miris extulisset laudibus, relictis patricij domū indignans repetijt, uerbisꝙ opus sup adiecit egregium. Nā cum sibi multum ædiū esset in uico longo, in quibus tunc una cum uiro habitabat, quantū ex eis ex parte una sufficere sacello modico arbitrata est, seclusis à cæteris, & ibidē aram instituit, accersitisꝙ matronis plebeis, arrogantiam patriciarum exposuit, & cōquesta ex uscepta ab illis iniuria subdidit, vos ergo deprecor hortorꝙ, vt uti cernitis huius urbis uiros habere cōtinuum de uirtute certamen, Sic et inter uos solius decoris pudicitiæ matronalis certamen sumatis, operam oantes, vt hæc ara, quam ego plebeiæ Pudicitiæ præsentibus vobis dico, si in aliquo potest sanctius illa & à castioribus coli credatur, Appareatꝙ agentibus uobis nō solum cœlestes animas pectoribus patriciarum infundi. O digna atꝙ sanctissima matronæ verba, O indignatio laudanda & inuentū in astra lęto plausu extolleudum nō in uirorū, substātias, non ad ornamenta lasciuiæ capescenda à Virginea cōiuratum est, quinimò in lasciuos petulantesꝙ iuuenū oculos atꝙ cōcupiscentias, & ad suā promerendam castimonię gloriā, optimo instituto sanctisꝙ uiribus itū est, adeo ut tunc inceptū, & diu post hoc actum sit, vt cū nulla nisi spectatæ Pudicitiæ, & quæ uni tantū viro nupsisset, sacrificandū ius eo præstaretur in templo, & spectantium incestuosis oculis fracta libidinosa spe, sanctitatæ Patriciæ æquarentur, nec dubitem multis ob gloriæ cupidinem, & ad effugiendum ignominam, si à sacrifitio arcerentur seruandæ castimoniæ causam atque studium iniecisse.

DE FLO-

DE FLORA MERETRICE dea Florum & Zephyri coniuge. Caput lxij.

Flora iuuentutis decoctrix fœda pudicæ,
Concubitus petit illicitos, & corpore quæstum,
In numerum facit, ecce libidinis omne barathrum.

FLoram Rhomanam fuisse mulierem testari videtur antiquitas, Cui quanti decoris ignominosus quæstus subtraxerat, tantū famæ fortuna fautrix auxit, hęc autem ut omnes asserunt ditissima fuit mulier, sed de quęstu diuitiarum discrepant, nam alij dicunt hanc omnem iuuentutis suæ, & formositatis corporeæ florem, inter fornices & lenones scelestos'cp iuuenes meretricio publico consumpsisse, & nunc hos, nunc illos stolidos, lasciuijs blanditijsque (ut talium moris est) substantiarum denudans, & vndicp corrodens & excerpens, in eas tam amplissimas deuenisse diuitias. Alij vero honestius arbitrati lepidam, & ridiculam ex eo referunt historiam, asserentes Rhomæ æditūum Herculis ociosum tesseris ludum inchoasse manibus alternis, quarum cum Herculi dexteram statuisset & sinistram sibi, dicunt fecisse periculum, ut si vinceretur Hercules, ipse sibi de stipe templi cœnam & amicam pararet. Si vero Hercules victor euaderet, tunc illi de pecunia propria illico idem facturum se dixit, Verum cum uicisset Hercules monstrua, etiam superare solitus ei cœnam, & nobilem meretricem Floram præparasse confirmant, cui dormienti in templo uisum aiunt, cum Hercule concubuisse, eicp ab eodem dictū se suscepturam mercedem concubitus ab eo, quem primo mane templum exiens inueniret, quæ cum Fanitio ditissimo iuueni templum exiens occurisset, ab eo amata atcp deducta est, & cum secum fuisset diu ab eodem moriente hæres relicta, & sic ditata. Verum sunt qui dicant hanc non Floram, sed Acciā Laurentiam fuisse, quæ Romulum Remum'cp, seu nutriuerat, seu postea nutriuerit, sanè huius discordantiæ ego nō curo, dūmodo constet Floram meretricem & diuitem extitisse. Hæc autem, ut eo tendam, quo cupio adueniente mortalis uitæ termino, cum nullus ibi filius esset & nominis perpetuandi cupida (vt reor) fœmineo astu, in futuram sui nominis gloriam Rhomanum populum substantiarum suarū sibi dixit hæredem, in hac tamen parte diuitiarum seruata, ut quod ex ea annuū susciperetur fœnus in anniuersarium natalis sui ludis publice factis errogaretur omne, nec eam fefellit opinio, Nec cum gratiam Rhomanę plebis ex hæreditate suscepta captasset annuos in memo-

riam sui nominis fieri laudes obtinuit facile, in quibus spectante vulgo ad eius puto quæstum posteris ostendendum inter alia turpia, nudæ meretrices minorum officium, summa cum insipientium voluptate gesticulationibus impudicis, & varijs exercebant, qua illecebri ostentatione actum est, ut seu ex facinore suscepto, seu ex ære publico annis singulis, cum instantia ludi huiusmodi, tanquam sanctissimi à plebe in libidinem prona peterentur, & Florales ab institutrice etiam dicerentur. Sanè tractu temporis cum senatus originis eorum conscius erubesceret, Vrbem iam rerum dominam tam obscena maculari nota, & in meretrices laudes cõcurreret oẽs. Quũq; aduerterent illam facile deleri non posse ad ignominam subtrahendam turpidini detestabilem, atq; ridiculum superiniunxit errorem, finxit quippe in splendorem Floræ inclytæ testatricis fabulam, & ignaro iam populo recitauit, illam asserens iam dudũ miræ pulchritudinis indigenam fuisse Nympham nomine Chloram, & à Zephyro uento, quẽ Latine Fauonium dicimus, ardentissime amatam, & postremo in coniugem sumptam, eiq; ab eodẽ quem stultitia sua inter deos nominabant, dotalitio quodam munere, seu propter nuptias, ut fit deitatem fuisse concessam, hoc cum offitio, vt uere primo arbores collesq; & prata floribus exornaret, eisq; præesset & inde ex Chlora Flora etiam diceretur, & quoniam fructus ex floribus sequerentur, ut deitate eius placata ludis, illos ampla quadam libertate concederet, et in fructũ deduceret, eidem Deæ sacrum, aras, ludosq; à uetustate fuisse concessos. Qua seducti fallatia eam, quæ uiuens fornices coluerat, à quibuscunque etiam pro minima stipe prostrata, quasi suis alis Zephyrus, illam in cœlum detulerit, cum Iunone regina deabusque alijs sedere arbitrati sunt. Et sic ingenio suo Flora & fortunæ munere, ex male quæsita pecunia, ex meretrice Nympha facta est Zephyriq; lucrata coniugium, & deitatis numen apud mortales in templis residens, diuinis honoribus celebrata, adeo non solum ex Chlora Flora, sed clara ubiq; locorum, ex insigni sui temporis scortatione facta sit.

DE RO-

DE ROMANA IVVENCVLA.
Caput lxiij.

Carceribus damnata Iuuencula sortis iniquæ
Vi, rabida perdenda fame, quam filia lacte,
Liberat atq; fouet, vitam producit & auget.

ROmana Iuuencula fuit, nec ex fece plebeia ni fallor traxit originem. Cui deperditum malignitate fortunæ nomen, et parentum coniugisq; notitia, forsan aliquantulũ meriti decoris surripuisse videbitur, sed ne per me subtractum videatur, etsi inter claras locũ nõ dedero apponere mens est, & innominatę mulieris pietatem inclytam referre. Fuit ergo Iuuenculę huic honesti generis mater, sed infelix. Nam Romæ apud prætoris tribunal (ob qd' nã meritum nescio) capitali supplitio damnata, & à prætore triumuiro, vt illi iam indictam sententia pœnam infert tradita, à triumuiro aũt in hoc idem publici carceris custodi exhibita. Verum quoniã nobilis esset, vt nocte necaret iniunctum est, custos aũt humanitate quadam impulsus, dum ingenuitati mulieris cõpateretur, in eam sæuire manibus noluit, sed viuam clausamq;, ut inedia consumeretur obmisit. Ad quã visendam filia uenit, & excussa prius egregie, ne quid sibi deferret introrsum intrare carcerem à custode obtinuit, esurientiq; iam matri, lacte quo recenti habundabat partu opitulata est, demũ continuatis diebus pluscilis, cœpit mirari costos, quod tamdiu dãnata mulier absque cibo traxisset spiritum, & clam quid cũ matre ageret nata prospectans, aduertit, quoniã eductis mamillis illas sugendas ori matris admoueret. Admiratusq; pietatem, & inusitatum nuterendi matrem modũ natæ cõpertũ triũuiro retulit, triumuir autem prætori, prætor publico nunciauit consilio, exquo cõmuni sensu factum est, ut pietati filiæ dono daretur meritum matris suppliciũ, sic seruanti in pugna viribus ciuem, querneã coronam largiebatur antiquitas, qua lacte seruantem in carcere matrem genitã decorabimus, nõ equidem tam pio facinori satis dignũ sertum cõperies inter frondes. Hæc pietas non solum sancta, sed admirabilis fuit, nec tantum æquanda quinimò præferenda nature numeri, quo docemur paruulos natos lacte infirmiorẽ ætatẽ deducere, ac parentes morti subtrahere. Mirabiles ergo pietatis sunt vires, nam nedum fœminea corda, quæ facile in cõpassionem trahunt & lachrymas, sed nõnunq̃ ineffrenata, & Adamantina obstinatione durata penetrat pectora, & posita circa præcordia, sed primo humanitate flexibili durum emollit omne, & opportunitatũ indagatrix atq; cõparatrix optima agit, ut lachrymas cũ fletibus misceant ægritudines, atq; pericula saltem desiderio subeant, & nõnunq̃ si desint

 remedia

remedia vicarias subeāt mortes, qui tam grandes effectus agunt, ut minus miremur, si quid pium filij in parentes agamus, cum eo potius uideamur vices reddere, & quod aliàs sumpsimus debita restitutione persoluere.

DE MARCIA VARRONIS. Caput lxiiij.

Martia Varronis, uirgo manet intemerata,
Quæ merito excellat, uirginitate sua.

MArtia Varronis perpetua virgo Rhomæ, iam dudū reperta est. Cuius tamen Varronis inuenisse non memini, nec etiā qua ætate. Hanc ergo obseruatam, virginitatē tanto egregiori laude extollendā puto, quod sui iuris fœmina sua sponte, non superioris coactione integriorem seruauerit. Nō eñ Vestæ ac sacerdotio alligatam, ac Dianæ voto obnoxiam, seu professiōis altius inplicitam, quibus plurimę, aut cohercerentur ac retinentur inuenio, sed sola mentis integritate superato carnis aculeo, cui etiā præstantissimi nōnunq̄ succubuere viri, illibatum à contagione hominis corpus in mortem usq; seruasse. Verum etsi hac tamen cōmendabili constantia plurimum, hæc laudanda sit Martia, non minus tam ingenij uiribus, & artifitio manuū cōmendanda est. Hæc equidē seu sub magistro didicerit, seu mōstrante natura habuerit, nobis incertū est, cū hoc uideatur esse certissimum, quod aspernatis muliebribus ministerijs, ne otio tabesceret, in studium se picturæ atq; sculpturę dederit omnem, & tandem tā artificiose tamq; polite penicillo pinxisse, atq; ex ebore sculpsisse imagines, vt sopolini, & dionisium suæ ætatis pictores famosissimos superauerit, eiusq; rei fuit notissimū argumentū, tabulas à se pictas cæteris preciosiores fuisse, & quod longe mirabilius, asserunt eā non tantum eximie pinxisse, quod & nōnullis contigit aliquando, verū adeo veloces ad pingendū habuisse manus, vt nemo vsquā similes habuerit. Fuerunt insuper diu eius artis insignia, sed inter alia eius effigies, q̄ adeo integre lineaturis coloribusq; seruatis, & oris habitu in tabula, speculo consulente, protraxit, vt nemini coætaneo, quæ nam foret ea uisa verteretur in dubium, & inter cæteras, ut ad singulares eius mores deueniamus, ei fuisse mos pręcipue asserunt, seu penicillo pingeret, seu sculperet Celte, mulierū imagines sæpissime facere, cū raro uel nunquam homines designaret. Arbitror huic mori pudicus rubor causam dederit, nam cum antiquitas, vt plurimum nudas, aut seminudas effigiaretur imagines.

gines, visam illi sit opportunum, aut imperfectos uiros facere, aut si perfectos fecerit uirginei uideretur oblita pudoris. Quæ ne in alterum incideret ab utroque abstinuisse satius arbitrata est.

DE SVLPITIA FVLVII CONIUGE. Caput lxv.

Numen erat cœleste, suo splendore uigebat,
Casta nimis, sancto multus in ore uigor.
Inclyta plus alijs, superum quæ munere sacro,
Prædita uirginibus, uirginitate fuit.

SVlpitia olim uenerandissima mulier, non minus matronarum Rhomanarũ testimonio laudis obseruatã castiomoniam, q̃ cultro se perimens Lucretia consecuta est. Hæc enim seruij Patriculi filia, Fuluij Flacci cõiunx fuit, nobiles ambo uiri. Et cum senatus iussu à decemuiris more ueteri, Sibyllinis libris decreuisset, ut Veneris Verticordiæ simulachrum cõsecraretur in urbe, ut uirgines cæteræq; mulieres, non solũ à libidine abstinerent, sed etiam facilius in laudabilem pudicitiam uerterentur, petiuissetq; iuxta decẽ uirorum mandatum, quo cauebatur, ut castior ex Rhomanis matronis dedicaret illud, ex ingenti multitudine, qua tunc abundabat Rhomia castarum fœminarum iudicio actum est, ut primo eius agentibus centum ex omni cœtu, quæ pudicitia clariores existimatæ essent, selectæ traderent, inter quas una Sulpitia sumpta est. Demum senatus iussu earundem mulierũ iudicio ex centũ decem, etiã lucidiores subtractæ, quas inter & Sulpitia numerata. Postremo cum ex decem peteretur una, sumo omnium consensu Sulpitia data est. Cui & si pulchrum fuit, ea tempestate Veneris Verticordiæ dicasse simulachrũ, longe tamen pulchrius, tam ingentis multitudinis existimatione fuit, quod castimonia prælata cæteris, eo quod non tantum assistentium oculis, tanquam quoddam cœleste pudicitiæ numen, omniũ admiratione conspecta sit, sed futurorũ omni ęuo etiã ueneratione, ferè immarcescibilem gloriã nomen eius uideatur esse delatũ. Sed quæso inquiet aliqua, si centum pudicæ electæ sunt, quid huic uni, aliarũ magis pudicitiæ superaddi potuit, ut cæteris merito pręferretur? palam est, hi uel hæ uideant, quæ arbitrantur solum ab alieno, quam uiri concubitu abstinuisse pudicam. Quæ quidem si intueri saniori uelimus oculo, non solum consistit ab amplexibus exterorũ uirorum abstinere, quod multæ etiam inuitæ faciunt. Equidem oportet matronam ut pudica integre dici possit, ante

alia cupidos vagosq́ frenare oculos, eosq́ intra uestimentorum suorum fimbrias cohercere, verba non solũ honesta, sed pauca, et pro tempore effundere, otium tanquã certissimum & perniciosissimum pudicitiæ hostem effugere, à cõmessationibus abstinere, cũ absq; Libero & Cerere frigeat Venus, cantus atq; saltationes, tanquam luxuriæ spicula euitare, parsimoniæ ac sobrietati vacare, domesticam rem curare, aures obscenis confabulationibus obturatas habere, & à circuitionibus abstinere pigmenta, & superuacaneos odores abijcere, ornatus superfluos respuere, cogitationes appetitusq́ noxios, totis calcare viribus, meditationibus sacris insistere, atq; vigilare, & ne per cuncta discurram pudoris integri castimonia virum solum summa dilectione colere, cæteros (nisi fraterna diligat charitate) negligere, & uiri etiam non absq; frontis, animiq́ rubore in amplexus ad prolem suscipiendam accedere. Quæ cum forsan omnia in cæteris non inuenirentur explicita, & in sola Sulpitia comparata, merito eam cæteris prætulere.

DE ARMONIA SICVLA GElonis filia. Caput lxvi.

Ecce fide felix, infelix perditione,
Sponte sua præbens ense ferire caput.
Seditione cadit Sicula, genus omne potentum,
Virgineam in cædem barbara turba ruunt.

ARmonia Sicula iuuenis Gelonis, fratris Hieronis regis Syracusarum fuit filia. Quæ quanquã regio genere fuerit insignis, longe tamen magis pietate sua digna memoratu facta est. Hanc quidam uirginem occubuisse uolunt. Alij uero Themistij cuiusdam coniugem, utrum horũ magis placet sumatur, cum nil ad diuersitatem opinionũ, ex eius pia fortitudine subtrahatur. Cum igitur Syracusanorum cœtu atq; repentina seditione in omnem regiam prolem sæuiretur à populo, & iam trucidato Hieronymo rege adolescentulo, atq; Andronodoro, & Themistio regij generis, & in Damaratam & Heracliam Hieronis filias & Armoniam Gelonis, multitudinis expeditis gladijs tumultuosus fieret incursus, actum est sagacitate nutricis Armonię, ut regio exornata cultu, uirgo quędam Armoniæ coæua, pro Armonia interfectoribus pararet. Quæ quidẽ uoto pręparantis in nulla fuit aduersa, quinimò cum in se latronum infestis mucronum cuspidibus irruere multitudinem cerneret, nec illa exterita aufugit, nec cõditionem suam ferientibus ꝓfessa est, nec

 latitantem

latitantem etiam Armoniam loco cuius occidebatur accusauit, verum tacita & immota suscipiens letiferos ictus occubuit. Felix perijt, & infelix Armonia, felix fide, infelix perditione fidelis. Attamen cum ex oculto innocuæ puellæ perseuerantiam & fortem in mortem animum, ac manantem ex vulneribus virgineum sanguinem cerneret Armonia, stupens cũ uirgine cæsa, iamq; abeuntibus percussoribus posset euadere, toto pectore admirari fidem cœpit, & inclyta pietate capta, effusis lachrymis, passa non est impune cruorem innocuum prospectare, & vitam tantopere, ac aliena fide seruatum in æuum, protelare longius, satius ducens ad inferos, cum tam fida iuuene immatura morte descendere, quam canos cum fidis ciuibus expectare, O pietas, O prisca fides, quæ euaserat in medium prodiens, reuocatis in se cruentis gladijs, fraudem nutricis, & occisæ fidem, suamq; cõditionem confessa, sanguinem suum vltro in ferias occisæ concessit, & crebris lacessita vulneribus in quantum potuit secus cadauer præmortuę corruit, cui quod pietas diu abstulit dignissimũ literis restituisse fuit: uerũ difficile cernere cuius maior, an præmorttuę fides, an superuiuentis pietas fuerit, illa uirtutem primę, hæc secundę nomen facit æternum.

DE BVSA CAMVSINA APVla muliere. Caput lxvij.

Fœmina larga manus, sanctissima mentis
Conspicuæ, multa quæ bonitate fuit,
Hospitio illa uiros ad Cannas vulnere cæsos
Accipit, & curat languida membra virum.

BVsa quam quasi Busa cognationis sit nomen quidam Paulinam uocant, mulier fuit apula origine Camusina, quam vt ex generoso sanguine natam credam, & alijs meritis pluribus splendidam, facit magnificum illud facinus, quod unicum de ea posteritate reliquit antiquitas. Aiunt enim Hannibale Poeno infesto bello aduersus Rhomanos agente, atq; igne ferroq; omnem Italiam populante, & sanguine plurimo fœdãte, cum apud Cannas Apulum uicum, magno certamine non solum hostes superasset, sed ferè Italicas omnes confregisset uires, actum est, vt eo conflictu cædeque ingenti noctu per deuia, ex multis dispersis vagisq; circa decem milia Camusium deuenirent, quæ tunc ciuitas fidem Rhomanæ societatis seruabat, quos omnes exangues, fossos, inopes, inermes, nudos, affectosque vulneribus, non exterrita casu, nec victoris potentia, comiter proprijs in ædibus Busa suscepit

hospitio

hoſpitio, eoſq; ante alia bono eſſe animo iuſſit, et adhibitis medicis uulneratos materna affectione curari fecit, nudis ueſtimenta, imò cunctis mira liberalitate conceſſit, & cottidianos omnibus ſumptus ex bonis exhibuit ſuis, refocillatisq; comi pietate miſeris, & in ſpem reuocatis, abire volentibus, ultro uiaticũ cunctis conceſſit, nec ulla ex parte circa opportunitates cõtinuo, affluentium manus retraxit. Equidem mirabile dictu, & in muliere longe laudabilius, q̃ ſi homini contigiſſet. Alexandrum enim Macedonum regem, & uniuerſi orbis inuaſorem, inter alia eius decora præcipua magnificentia extollere priſci conſueuere, aſſerentes eum, ne dum iocalia precioſa, pecunias ingentes, & munera huiuſmodi per maxima munificentijs aliorũ principum ferè largiri conſuetum, uerũ principatus eximios, regina ſplẽdida, & ampliſſima imperia amicis, & nõnunquam uictis regibus exhibere, pulcrum quidem & magnificũ, & totum extollendum præconijs eſt, ſed minime (ut reor) Buſæ magnificentię adęquandum. Nam Alexander uir fuit, fœmina Buſa, quibus familiaris, imò innata tenacitas eſt, & animoſitatis perminimũ, rex ille & maximus, hęc priuata mulier, ille quod uiolentia ſurripuerat ſua, hęc quidem iure hæreditatio poſſidebat, ille quod ſibi forſan cõmode ſeruare nequibat, hęc quod diu ſeruauerat, & ſeruaſſe uolens adhuc poterat, ille bene meritis & amicis, hęc etiã extraneis & incognitis, ille rebus florrntibus ſuis, hęc ſuis mutantibus, & periclitantibus amicorum, ille apud exteras nationes, hęc ſub patrio cœlo in pręſentia inter ſuos, ille ut gloriam munificentiæ lucraretur, hęc ut indigentibus auxilium impenderet, quid multa? ſi mentem, ſi ſexum, ſi qualitatem proſpe ctemus amborum, non dubitem, quin ſub æquo iudice longe, plus Buſa ex liberalitate ſua, quam Alexandrum ex ſua munificentia gloriæ conſequatur, ſed cui vultis candidior cedat laus, mea ſententia Buſa ſuis ſubſtantijs optime uſa eſt, non enim natura parens è penetrabilibus terræ in publicũ eduxit aurum, ut ex matris vtero deferretur in tumulum quod auari faciunt, cum Archiuo ſepeliunt & cuſtodia nimia incubant, quaſi iterum naſcituro, uerum ante omnia vt cõmuni exhiberetur cõmodo, inde honeſto fulgori noſtro, & amicorum cõuictui, & ſi ſuperſit proſtratis fortunæ iniuria, ira cœli fatigatis, paupertate minus digne preſſis, carceri alieno crimine clauſis, & quibuſcunq; attritis egeſtate anxia, miniſtremus ſuffragia liberali animo, non equidẽ vt apareamus, verum ut perficiamus, non vt lucremur, ſed vt largiamur huiuſmodi impendenda ſunt cõmoda, eo adhibito rationis moderamine, ne dum alijs opitulamur nobis procuremus in inopiam, qua cogamur alienis ne dum dicam manus violentas inijcere, ſed nec etiam occultis inhiare.

DE SO-

DE SOPHONISBA REGINA Numidiæ. Caput lxviij.

Magna decore fuit Sophonis, balibidine maior,
Illecebres coitus, finxit inane pecus.
Blanditijs precibusq́; toros affectat & ambit
Illicitos, multo sanguine sæuit atrox,

Sophonisba quidem, posito splendens Numidarum regina incesserit, austeritate mortis intrepide à se sumptæ longe luculentior facta est. Hæc enim filia fuit Asdrubalis Gisgonis, filij maximiq́; Carthaginensium principis Hannibale vexante Italiã, quæ cum esset ætate florens & forma satis egregia, à patre Syphace potentissimo Numidiȩ regi, in coniugium virgo copulata est. Nec equidem desiderio regiæ affinitatis tantum, sed optabat uir sagax instante Rhomanorum bello, non solum Barbarum regem Rhomanis subtrahere, sed opere filiȩ blandientis in partes Carthaginensium, aduersus Rhomanos cõuertere, nec à præcogitata fallatia deceptus est, nam cũ nuptias Syphax celebrasset à prȩmonita adolescentula formositate fauente, intantum suȩ dilectionis ardorem tractus est, vt nil prȩter illam sibi charum, aut delectabile arbitraretur Syphax: & sic dum ureretur infelix, & appareret Corneliũ Scipionem ex Sicilia in Africam, cum exercitibus traiecturum Hasdrubalis monitu, Sophonisba blanditijs precibusq́;, adeo Syphacis animũ in desiderium suum traxit, vt non solum Rhomanos relinqueret, quibus amicitiæ fidem præstiterat, & Carthaginensibus iungeretur, verum ultro alieni belli principatum assumeret, quamobrem perfidia calcata fide, quam pridie Scipioni hospiti suo promiserat, ei p literas nondũ transfretanti in Africam interdixit ingressum, cæterum Scipio ingentis animi iuuenis, damnata Barbari regis nequitia, depositis haud longe à Carthagine copijs, illlum ante alia expugnauit per Masinissam regem socium, & Lælium legatum suum, per quos exercitu fuso, captus, vinctusq́; deductus est Cyrtam, regiam Numundiæ ciuitatem, nec ante cathenis onustus ciuibus ostensus est, quam Masinissæ ciuitatis dedicatio facta, qui cum nondum Lælius appulisset, eam, motu rerum repentino tumultuantibus omnibus, regina, ut erat armatus intrans, obuiam habuit Sophonisbam, quæ fortunarum suarum conscia, cum eum intrantem uestibulum vltra alios armis insignem cerneret, vt erat regem auspicata ad eius procliuis genua pristinæ fortunæ animum retinens, inquit: sic rex inclyte deo visum est, & felicitati tuæ, vt in nos, qui paulò ante reges eramus, quæ velis possis omnia, verum si permissum est, vt captus corã victore & vitȩ morisq́; suæ do-

ſuæ domino, ſupplices uoces emittere poſſit, eius genua atq; dexteram uictricem contingere, deiecta precor per maieſtatem tuam, in qua & ego paulò ante eram, perq; genus regium, & cõmune Numidicum nomen, et ſi meliori ſuſcipiaris omine, quam hinc abierat Syphax, in me, quam iuris nouit aduerſa fecit fortuna, agas, quod in oculis tuis pium bonumq; uiſum ſit, dũmodo inſolenti & faſtidioſo (potiſſime Pœnis) Rhomanorum arbitrio uiua nõ tradar. Facile enim potes aduertere, quid ego Rhomana, hoſtis Carthaginenſis & Haſdrubalis filia (ſino quod Syphacis coniunx) timere poſſum, & ſi omnis in hoc alius tollitur modus, ut tua manu potius moriar facito, quam hoſtium in poteſtatem uiua deueniam precor & obſecro, Maſiniſſa qui & ipſe Numida erat, & (uti omnes ſunt) in libidinem pronus, uenuſtatem oris orantis inſpiciens (addiderat quippe infortunium pium quoddam, & inſolitum decus) ſupplici motus & humanitate, à libidine tractus, cum nondum aduentaſſet Lælius, uti erat in armis dextera data, inter fœminarum quærulos ululatus, & tumultum diſcurrentium undiq; militum leuauit orantem, eamq; extemplo ſibi iunxit in coniugem, medio in ſtrepitu Rhomanorum nuptijs celebratis. Puto hac uia arbitratus & libidini ſuæ, & precibus Sophonisbæ inueniſſe modum, die demum ſequenti Lælium uenientem ſuſcepit, & eo ſic iubente cum omni regio ornatu & præda cætera, ac noua coniuge redeuntes in caſtra, primo à Scipione ob rem bene geſtam comiter ſuſcepti ſunt, deinde cũ ab eo celebratas cum captiua Rhomani populi nuptias amicabiliter redargutus eſſet, & in tabernaculum ſeceſſiſſet, arbitriſq; remotis, ſuſpirijs lachrymiſque oppletus diu ingemuiſſet, adeo ut à circunſtantibus audiretur, vrgente Sophonisbæ fato accerſiri ad ſe iuſſit, quem ex ſeruis fideliſſimum habebat, cui cõmiſerat ſeruandum venenum ad incertos fortunæ caſus, eiq; præcepit, vt illud poculo dilutum Sophonisbæ deferret, diceretq; libenter ſe illi quam ſponte dederat fidem ſeruaturum ſi poſſet, Verum quoniam à quibus poterat arbitrium ſubtrahebatur ſuum, quam ipſa potuerat, non abſque mœrore ſuo præſtabat fidem, ſi vti velit, ſcilicet, ne in poteſtatem uiua veniat Rhomanorum, ipſa tamen patris patriæq; & duorum regum, quibus paulò ante nupſerit, memor ſibi quod videretur conſilium ſumeret. Quo quidem auditu conſtanti vultu, merito dixit, accipio nuptiale munus, & ſi nil aliud à viro coniugi dari poterat, gratum habeo, ſed refer ſatius me morituram fuiſſe, ſi non in funere meo nupſiſſem, hæc acrius dicta dedit quam poculum ſumpſerit, & nullo ſigno trepidationis oſtenſo, confeſtim hauſit omne, nec diu tumeſcens in mortem, quam petierat miſerabunda collapſa eſt, Ædepol annoſo homini cui iam uita tædium, nec ſpes alia præter mortem, ne dum puellulę regiæ, tunc habito ad notitiam rerum reſpectu uitam intranti, & quid in ea dulcedinis ſit

percipere

percipere incipienti, magnum & admirabile fuisset, & nota dignum morti certe adeo impauide occurrisse.

DE THEOSENA HERODICI principis filia. Caput lxix.

Illa Tyrannidis impatiens, in funere natos
En agit, atq; manu pignora chara necat.

THeosena Thessala ac nobilis origine mulier, hinc dulci pietate, inde atrocitate seuera inditum de se futuris testimonium liquit. Hæc enim Herodici Thessalorum principis, Philippo Demetrij filio Macedonibus imperante filia fuit, eiq; soror ex eisdem parentibus extitit Archo nomine, quib9 cū primo eiusdem Philippi nequitia pater occisus esset, tēporis tractu eadem suadente perfidia, ab eodem nefaria morte uiris priuatæ sunt, unicuiq; ex uiro filio unico relictis superstite. Eis igitur uiduis Archo primo Poridi cuidam gentis eorum principi nupsit, multosq; ex eo filios peperit. Theosena aūt cōstantiori animo à multis proceribus frustrata in coniugium expetita, longius uiduitatem seruauit, uerum cum morte subtracta fuisset Archo, compassa nepotibus ne ad manus nouercæ alterius uenirent, seu aliter minus accurate alerentur à patre, & eos tanq̃ proprios educaret, eidem Poridi sese cōnubio iunxit nulla lege illis temporibus prohibente, cœpitq; non aliter, quã si ipsa foret enixa, pia cum diligentia illos alere, ut satis appareret eorum magis obsequio, quam suum ob cōmodum nupsisse Poridi, quibus sic se habentibus, cōtigit vt Philippus Macedonum rex, eo quod inquieti esset ingenij, iterum aduersus Rhomanos, tunc orbe clara felicitate florentes bellum moliretur animo, et ob id cū euacuasset maximo regni sui motu ueteribus colonis, ferè omnes Thessaliæ maritimas ciuitates eosq; in Poemã, quæ postea Æmathia dicta est, mediterraneam regionem turmatim transmigrare iussisset, Thraci busq; eius orę tanquam futuro bello aptioribus, atq; fidelibus oppida cōcessisset uacua, audissetq; abeuntium execrationes in se, ratus est, nil sibi tutum fore, ni filios eorū quos dudum truculentus occiderat, æque perimeret omnes, quos c ūcapi iussisset, & in custodiam seruari, ut non uno cunctos ictu cęderet, sed uicissim successu temporum aboleret actum est, ut Theosena scelesti regis edictum audiret, & memor sui sororisq; uirorum necis, filium nepotesq; peti arbitrata est, & existimans si in regis deuenirent manus, non solum sæuitiæ eius ludibrio futuros, sed etiam custodum necessitate cogente libidinem & fasti-

 dia subi-

ſubituros, ad quod euitandum confeſtim in atrox facinus iniecit animum, auſaq́ꝫ dicere viro patriq́ꝫ eorum ſe potius, ſi aliter non daretur occiſurã omnes propria manu, quam pateretur in Philippi poteſtatem deduci, Poris aũt execratus tam ſceleſtum crimen, in ſolatium uxoris natorumq́ꝫ ſalutem, deportaturum ſe eos, & apud fidos hoſpites poſiturum fugæq́ꝫ futurum comitẽ ſpopondit, nec mora, cum finxiſſet ſe à Theſalonica æneam ad ſtatuam, quotannis Æneæ conditori ſacrificium profecturũ, ibiq́ꝫ inter ſolemnes cæremonias epulasq́ꝫ diem conſumpſiſſet, una cum natis & coniuge clam ſoporatis omnibus noctis vigilia tertia, tanquã in patriam rediturus, præparatam nauim conſcendit, eo propoſito, ut Euboeam non Theſalonicã peteret. Cæterum longe illi aliter contigit, uix dum littus Æneæ reliquerat, & ecce per noctis tenebras ventus ex aduerſo ſurrexit, eum non quo cupiebat, ſed unde diſceſſerat inuitũ retrahens, Cui cum fruſtra remis in contrarium niterentur nauales ſocij, dies eluxit, littori propinquos oſtendit, regij vero cuſtodes, ex portu laborantem nauem cernentes, eamq́ꝫ moliri, fugam exiſtimantes, ad eam retrahendã confeſtim armatum miſere Lembum, graui imperantes edicto, ne qui mittebantẽ abſq́ꝫ naui reuerterentur in portum; Poris quidam inſtantis periculi conſcius, dum Lembũ cernit venientem, nunc remiges nautasq́ꝫ, ut totis inſiſteret viribus, nunc deos v.t periclitantibus præſtarent ſuffragium intentus orabat, qđ Theoſena conſpiciens, nec ignara periculi, quaſi ſibi à ſuperis tempus præſtitum foret, dum Poridem orantem cernit, ad præcogitatum reuoluta facinus, eueſtigio venenum poculo diluit, & expediuit gladios, & filio atq́ꝫ nepotibꝰ in conſpectu ponit, & ait, mors ſola vindictam ſalutemq́ꝫ nobis omnibus prꝙſtare poteſt, ad mortem poculum gladiusq́ꝫ ſunt viæ, qua qnemcũq́ꝫ delectat regia ſuperbia fugienda eſt. Mei ergo iuuenes generoſos excitate animos, & qui maiores eſtis viriliter agite, capite ferrum, aut poculum haurite, ſi mors ſꝙuior fortaſſe delectat, & in eam libram confugite, poſtquam in uitam tendere æſtuoſi maris impetus prohibet. Aderant iam hoſtes & atrox fœmina mortis auctore inſtabat, vrgebatq́ꝫ iuuenes hæſitantes, quamobrem alij alio læto abſumpti, ſemianimes, & palpitantes adhuc Theoſena iubente prꝙcipitantur è nauiq́ꝫ cum quos pie educauerat ob libertatem egiſſet in mortem, ne ſibi quã diſuaſerat alijs ſeruitutem ſeruaſſe videretur, egregio animo virum adhuc orantem in mortis comitem complexa eſt, ſecumq́ꝫ in procelloſum mare præcipitem traxit, ſatius libere mori rata, quam uiuens fœda ſeruitutæ tabeſcere, & ſic hoſtibus naue relicta vacua, ſolatium ſæuetiꝙ ſuæ Philippo abſtulit, & ſibi dignum memoria mulier auſtera monumentum peperit.

DE BE-

DE BERONICE CAPPADOCIÆ regina. Caput lxx.

Viribus atq; armis regina induta Tyrannum,
Qui natos cædit, sternit & illa, trucem.

BEronices Pontica, cui & Leodices nomen fuit, & sanguis fulgore locum inter claras mulieres sibi quæsisse forsan uideatur longe magis, non ob feruidum amorem in filium (quo ut plurimum matres utuntur) sed ob meritum insignis eius audaciæ, in uindictam eius sumendam occupasse censetur. Quod ne uideatur à calamo surreptum paucis explicandum est. Hæc Mithridatis regis Ponti, eius qui aduersus Aristonium, cũ Rhomanis paulò ante bellum gesserat, & repentina demum subtractus morte fuerat, filia fuit, & Mithridatis superioris Mithridatis filij, & hostis diuturno bello Rhomanorum, soror Ariarapti Cappadociæ regi nupsit, cui per insidias agente Mithridate Beronicis fratre, à Gordio quodam occiso filij duo fuere superstites, uerum cum Nicomedes ea tempestate Bithyniæ rex Cappadociam occupasset, quasi cæde regis uacuam regni auidus Mithridates pietatem finxit, seq; recuperaturũ nepotibus regnum aiens, arma sumpsit in Nicomedem. Sanè cũ comperisset Leodicem uiduam Nicomedi nuptam, ficta pietas in ueram conuersa, pulso armorum uiribus ex Cappadocia Nicomide: Ariarapti natu ex fratribus grandiori patrum regnũ constituit, quæ cum postea facti pœnitens, per fraudem occidisset, & iunior alter cui Ariaraptes nomen erat, ex Asia ab amicis reuocatus regnare uideretur (ut placet aliquibus) opere Mithridatis eiusdem per insidias etiam trucidatus est, quod adeo ægre tulit infelix genirrix gemina orbata prole, ut dolore coercita sexus oblita, furens arma corriperet, & iunctis iugalibus equis, currum conscenderet, nec fugientem cursu præcipiti, Ceneum satellitem regium scelesti facinoris executorem sequi primo desisteret, quam eum, cum hasta nequisset, saxo ictum prostrasset, superque iacentis cadauer indignabunda currum ageret, & inter hostilia tela nullo fratris, tunc hostis pauore perculsa, domum usque, in qua cæsi pueri corpus seruari existimabat, perueniret, eique maternas lachrymas miseranda concederet, & officium persolueret funerale. O bone deus, O inexpugnabiles naturæ uires, & amoris inuicti fortitudo, quid maius, quid mirabilius egisse potuistis? quos omnis Asia & forsan iam Italia tremebat exercitus, egistis, vt impauida mulier, & armis induta, impulsu penetraret nostro, & formidabilis regis despectis uiribus odioq; ad eum perimendum, cui victoris munus & gratia seruabatur audatiam ingenium præstitit & robur. Attamen hunc alij ægritu-

dine fatigatum puerum naturæ soluisse debitum nolunt, & eum quem à Mithridate fraude cæsum diximus, fuisse, quem mater eo quo potuit conatu ulta est.

DE CONIVGE DRIGIAGONtis Gallogræci. Caput lxxi.

Vi illatum tulit illa stuprum, sed turpis adulter
Vi perit, atq; caput fœmina punit eum.

DRigiagontis Gallogręcorũ reguli coniugis meritum decus, & claritatis præcipue præmium videbatur posse subtrahere ignoratũ nomen, quod barbaries Idiomatis incogniti inuida nostris laudibus (reor) inter mediterraneos Asiæ saltus & spelæas obruit, latinisq; clausum subtraxit, Sed absit, vt hoc infortunij crimen egisse potuerit, quin illi sub mariti titulo, qđ nostræ possunt literulæ, splendoris meriti impendatur. Superato igitur à Rhomanis, sub duce Scipione Asiatico, Anthiocho magno Syriæ, Asiæq; rege, Cneus Manlius Torquatus consul Asiam sortitus prouinciã, ne frustra transtulisse videretur copias, seu otiosum haberet militem, peragratis hostium reliquijs circa maritimas oras, suo ex arbitrio in montanas abditasq; regiones euectus Asiæ, aduersus Gallogræcos efferatos Barbariæ populos, qm̃ Anthiochum aduersus Rhomana arma subsidijs iuuisset, & nonnunquam omnem turbarent discursionibus Asiam, acre bellum intulit. Verum cum iam diffiderent Gallogræci, oppidis relictis, in vertices montium natura loci munitos, cũ coniugibus filijsq;, & relictis fortunis suis abire, & se armis à circumsidentibus hostibus, quibus poterant tutabantur & uiribus. Attamen duro militum Rhomanorum robore superati, ac per decliuia montium deiecti, cæsisq; qui superfuerant, deditione facta victoriam Manlij confessi sunt, erat captiuorum utriusq; sexus, & ætatis, multitudo ingens, custodiæ quorũ præpositus Centurio, cũ Orgiagontis galli reguli coniugẽ uidisset ætate ualentem, et corporis formositate conspicuam, in eius lapsus concupiscentiam, Rhomanæ honestatis im̃emor, aspernanti quibus poterat uiribus stuprum intulit, qđ mulier adeo grandi pertulit indignatione, vt non magis libertatem cuperet, quã vindictam. Sed cauta in tempus uotum silentio texit. Cum autem venisset pro redimendis captiuis, pecunia pacta, excanduit, innouata ira casto sub pectore mulieris, quæ præmeditata quid sibi faciendum instaret, soluta uinculis, cum suis se traxit in partem, iussitq; Centurioni poscenti ponderari aurum.

Cui

Cui operi dum Centurio intentos animum tenebat & oculos, hæc Idiomate suo, Rhomanis incognito, seruis imperauit, vt centurionem percuterent & caput euestigio præciderent mortuo, quod sinu seruatum illæsa remeauit ad suos. Et cum in conspectu peruenisset uiri, recitassetq; quid captiuæ illatum sit, quod detulerat ad pedes eius deiecit, quasi precium illati dedecoris & ruboris fœminei, quod potuerat perægre tum tulisset. Quis hanc non dicam solum Rhomanam, sed ex acie Lucretiæ vnam potius, quam barbaram mulierem non dicat, stabant adhuc in conspectu carcer et cathenæ, & circunstrepebant victricia arma, & sæui vindicis superiminebant secures, nec dum satis erat mulieri libertas reddita, cum labefactati corporis indignatio in tam grandes uires honestum pectus impelleret, vt nec iterum, si oportuerit subire cathenas, in captiuam trahi, tetrum intrare carcerem, & ceruicem præbere securibus, non expauerit animosa fœmina, inclyta scelesti facinoris vltrix, quin seruorum gladios constanti iussu in caput, infausti stupratoris adigeret, quo nam acriorem hominem, animosiores ducem, seueriorem in male meritos imperatorem comperies? Quo nam sagatiorem audatioremq; mulierem adeas? aut matronalis honestatis magis peruigilem seruatricem, uidebat mirabili mentis perspicatia fœmina hæc, quam satius foret in mortem ire certam, quam cum incerto dedecore domum viri repetere: nec nisi per maximos ausus, & discrimen posse testari in corpore violato illibatam fuisse mentem. Sic ergo decus seruatur fœmineum, sic sublatum recuperaratur, sic pudici cordis testimonium redditur, & ideo prospectent, quibus inclytæ pudicitiæ cura insidet animo, quoniam non satis sit ad cordis synceritatem testandam, lachrymis, & querilis se uiolentiam passam dicere, nisi cum possit, quis in uindictam egregio processit opere.

DE TERTIA ÆMYLIA PRImi Scipionis Africani Coniuge. Caput lxxij.

Tertia pectus habet præclara Heroïde dignum,
Cui pudor est cordi, quem tegit arte, viri.

Tertia Æmylia, & si tam ex claritate familiæ Æmyliorũ, ex qua splendidam originem duxerat, quam ex coniugio strenuissimi viri Scipionis primi Africani, perlucida sit, longe tamen ampliori lumine facinoris emicuit suo. Nam cum his scilicet qui iunior quondã Luceio principi, sponsam virginem, primo iuuentutis flore, ac speciosissimi decoris spectabilem, cũ thesauris à parentibus pro eiusdem virginis redemptione oblatis, in tactam restituit, senior factus, se ipsum à damnatæ concupiscentiæ illecebris nequisset surripere, sed in dilectionem ancillulæ suæ, & concubitum incidisset, quod cum difficilimum sit honesti amoris animaduertentiam fallere, latere Tertiam non potuit, quinimò temporis tractu cuncta cogitauit. Et quis dubitet, quin ęgerrime tulerit, asserunt enim nõnullæ omni oris rubore seposito, nil iniuriosius, nil intollerabilius nuptę mulieri fieri posse, quã quod iure thori suum dicunt à viro exteræ concedi fœminæ, & ego Ædepol facile credam, nã seu fragilitate sexus eueniat, seu minus bona de se opinione faciente, suspitiosissimum animal fœmina. Arbitrantur enim euestigio, si quid in alteram à viro agitur, in detrimentum amoris sibi debiti operetur, sed quantũcunq; difficile visum sit, cõstanti tamen pectore mulier inclyta tulit, tantoq; cognitum viri crimen oppressit silentio, vt ne dum alteri, sed nec vir ipse perpendit eam sensisse, quid ageret. Existimabat autem discreta vxor, indecens nimium in propatulo sciri, quod is qui virtute inclyta reges nationesq; validas subegerat, ipse amori ancillulæ subiaceret. Nec sanctissimæ mulieri satis visum, hoc Scipione uiuente arcanum seruasse, quinimò eo iam defuncto ad auferendam à uiri memoria illecebrem notam, si quomodo crimen aliunde expirasse potuisset, & causam, ne ea quæ tam celebris uiri fuerat usa concubitu, aut à quoquã seruitutis improperio deturpari posset, aut minus decenti lasciua cuiquam misceretur de libidine, qua labefactari uideretur, amplissimi uiri concupiscentia, primo illam manumisit liberali amino, deinde liberto seruo coniugem dedit. O sacris in cœlum extollenda laudibus mulier, hinc æquo atq; tacito patiens iniurias animo, inde liberalem in riualem sibi ancillulam defuncti uiri persoluens debita, quod quanto rarius contigisse uidimus, tanto debemus arbitrari splendidius. Conclamasset altera & in concilium vocasset affines uicinas, & quascunque co-

que cognitas mulieres, easq́ longa dicacitate complesset onerasset'q́ querelis & numeris, se obmissam, se relictam, se uilipensam, se in nullo precio à uiro habitam, eoq́ uiuente uiduam, & ancillulæ suæ seruulæ, & deiectæ sortis merculæ postpositam abiecisset extemplo, imò sub corona uendidisset ancillam, uirum etiam publice infestasset lachrymis & quæstibus, nec iurasset dum ius suum garrulitate defenderet, nunquid honestissimi uiri famam inclytam macularet.

DE DRIPETRVA LAODICEÆ REGINA. Caput lxxiij.

Dentium & illa dedit serie, spectabile monstrum,
Os spatiosa, fuit, prodigiosa caput,
Hæc faciem turpis, nudosq́ exerta lacertos,
Fusca fuit, toto corpore nigror erat.

DRipetruam Loadiceæ fuisse reginam, & magni Mithridatis filiam legimus, quam & si commendabilem fecerit ea fides, qua parentibus sumus obnoxij, plus satis me iudice illam inaudito, quodam opere memorabilem fecit natura parens. Nam (si codicibus ueterum adhibenda fides est) hæc cum gemino dentium ordine nata monstruosum de se spectaculum, Asiaticis omnibus tribuit æuo suo, & si nullum in mandendo à tam inusitata dentium quantitate susceperit impedimentum insigni, tamen deformitate non caruit, quam ut iam pertractum est laudabili fide compescuit. Nam superatum à Pompeio magno Mithridatem genitorem suum, nullis periculis aut laboribus indulgendo semper secuta est, & obsequio tam fideli testata naturæ, crimina imputari parentibus non deberi.

DE SEMPRONIA. Caput lxxiiij.

Spe frustratus abit procus, & non mitis amator,
Permanet & constans fœmina proposito,
Hæc proanos, gentemq́ suam, patriosq́ penates,
Scipiadas duros, mente referre uolens.

SEmpronia filia fuit Titi Sempronij Gracchi suo tempore clarissimi viri suscepta, ex Cornelia olim maioris Scipionis Affricani filia, fuit & insuper coniunx splendidi viri Scipionis Æmyliani, qui & aui cognomē ob deletam Carthaginem postea consecutus est, & soror insuper Tyberij & Gaij Grachorum amplitudine, & constantia animi à maioribus non degenerans suis, huic enim post cæsos fratres, ob seditiones suas, aiunt contigisse, ut à tribuno plebis, coram populo in iudicium traheretur, non quidem absque maxima consternatione mentis. Ibi autem fauente multitudine, & potestate tribunitia omni instante, vt ex oscularetur Equicium ex firmo Piceno hominem, tanquam nepotem suum & Tiberij Gracchi fratris sui filium, eum quē ex Sempronia familia susciperet cogebatur, quæ quidē etsi in loco consisteret, in quo etiam principes tremere consueuerant, & hinc inde dissonis clamoribus imperitę multitudinis ageretur minaretur ve, ex aduerso torua facie sublimis tribunorum auctoritas, in nihilo muliebris constantia facta est, quinimò memor Tiberio fratri præter tres filios non fuisse, quorum alter iuuenis dum in Sardinia stipendia mereretur obierat, & alter adolescentulus paulò ante patris ruinam Rhomæ diem clauserat, & tertius infantulus post genitoris cædem Postumus natus apud nutricem aleretur, adhuc constantissimo pectore & acri vultu nulla ex parte territa, extraneū temerariumq; Equitium clarum genus Gracchorū mendaci demonstratione fœdare conantes, à se ignominose reiecit, nec ad id agendum quod iubebatur ullis imperijs, aut minis induci potuit aut flecti, Quæ tam animo se Equitio data repulsa, & insani hominis proteruia frustrata, & à tribunis accuratius exquisito negotio cognita, & generosi animi mulieris perseuerantia laudata est. Erunt forte qui dicant esto iure, maiorum suorum Sempronia meruerit, non tamen hāc ob constantiam inter claras fuisse ponendam, eo quod quodā innato sibi more mulieres in quocunque proposito obstinatæ opinionis, atq; inflexibilis pertinatia sint. Ego autem dato quod non infitiar, eas tamen si ueritati innitantur arbitror laudandas, Cui profecto Sempronia insistebat. Sunt præterea qui velint hanc tam indomitæ fuisse ceruicis, vt nil aduersus iudicium suum factum quod requirit (si daretur facultas(inultum & ob id arbitrantur eam in mortem Scipionis viri sui præstitisse consensum, eoque dirupta Numantia rogatus sententiam dicere, nunquid iuste cæsum existimaret Tiberium, nullo habito affinitatis respectu, sediciosi hominis truculentam laudauit mortem.

DE CLAV-

DE CLAVDIA QVINTA MVliere Rhomana. Caput lxxv.

Vestis ob immodicum luxum damnabile crimen
Pertulit, immeritis Claudia sacra modis.

CLaudia Quinta Rhomana fuit mulier, quibus tamen orta parentibus, non satis patet, verũ insigni quidam audatia, perpetuam sibi claritatem peperit. Hæc cum assiduo & uario, & accurata plurimum vteretur ornatu, ac oris cultu nimio incederet splendida, à grauioribus matronis non tantum minus honesta, verũ & minus pudica arbitrata est. Sanè Marco Cornelio, & Publio Sempronio consulibus, anno scilicet quintodecimo belli Punici secundi factum est, vt Epesununce deorũ mater Rhomã infantibus Tyberis applicaret. Ad quam suscipiendam è naui, cum iuxta responsum oraculi, Nausica ab uniuerso senatu totius vrbis vir optimus iudicatus, cum matronis omnibus eo usq; concederet, ubi propinqua nauis contigit, vt uolentibus nautis littori propinquare hæreret, vado fluminis nauis, qua vehebatur simulachrum. Et cũ nec trahente iuuenum multitudine posse moueri uidetur, Claudia alijs matronis immixta suæ uirtutis conscia, palã submissis genibus Deam supplex deprecata est, ut si se castam arbitraretur, cingulum sequeretur suũ. Et illico fidenter cõsurgens id futurum sperans, quod prece quæsierat, naui alligari cingulum iussit, & ab eo iuuenes ammoueri omnes, nec ante factum est, quã trahente Claudia, facillime nauem à uado euelleret, & mirantibus cunctis eam in partem, quam cupiebat traheret, ex quo tam mirabili successu secutum est e uestigio, ut omnium de minus seruata pudicitia maxima Claudiæ laude incontrarium uerteretur opinio, & sic quæ ad littus turpi lasciuiæ nota maculata processerat, decorata insigni pudicitiæ splendore patriam reintrauit, uerũ etsi pro uoto Claudiæ cesserit, absit, ut existimem sanæ mentis esse, quantũcunque innocue similia audire. Velle enim, ut se quis ostendat insontem id agere, quod præter naturam sit, deũ potius tentare est, quam obiecti criminis purgare labem. Sancte nobis agendum est, sancte uiuendum, etsi minus boni existimemur, non absq; bono nostro patitur deus, uult quippe nostra firmetur pacientia. Auferatur elatio, exerceatur uirtus, & ut nobiscum ipsi lætemur, dum alios noscit indignos. Satis nobis multum est, imò per maximũ, si deo teste bene uiuimus, & idcirco, si minus bene de nobis sentiunt homines, bene fecerimus, non curemus, dum male, totis uiribus instandum est, ut emendemur, ut eos potius male opinantes, sinamus, quam male agentes simus.

DE HYP-

DE HYPSICRATEA REGINA Ponti. Caput lxxvij.

Hæc regina monet, quid amoris præbeat vxor
Chara viro, quantum fœmina amare queat.
Illa uirum sectatur amans, per saxa, per igneis,
Deficit in nullo, fortis ubiq; manet.

HYpsicratea quamuis eius originem ignoremus, magni tamen Mithridatis coniunx, & Ponti grandis regina fuit, forma spectabilis & inuicti amoris in uirum, adeo cõmendanda, vt ex eo suo nomini fulgorem perpetuum meruerit. Mithridati quippe diuturno atq; sumptuoso, & discriminibus varijs, pendulo aduersus Rhomanos bello laboranti, esto illi barbarico more coniuges aliæ, & concubinæ plurimæ forent, amoris eximij facibus incensa, seu regiones amplissimas peragranti, seu certamina ineunti, seu transfretationes paranti, semper fuit fidissima & inseparata comes. Hæc equidem ægre ipsius ab sententiam patiens, atq; existimans neminem posse, præter se rite obsequia impendere viro, & vt plurimum infida ministeria fore seruorum, ut ipsa dilectissimo sibi possit opportuna præstare, etsi difficillimum uideretur; sumpsit tamen prosequendo consilium, & quam tanto operi muliebris habitꝰ videbatur in congruus, & indecens lateri bellicosissimi regis incedere fœminam, vt mortem fingeret, ante alia aureos crines (quibus plurimum gloriantur mulieres) forcipibus secuit, & syderij vultus suum præcipuum decus, non solum una cum crinibus galea tegere passa est, uerum puluere & sudoribus, ac armorum deturpare rubigine, armillas aureas, & iocalia uestesq; purpureas, & in pedes fluxas ponere, aut genutenus resecare, & eburneum pectus lorica tegere, atque tibias ocreis deuincire, abijcere anulos, & digitorum preciosissima ornamenta, & eorum uice parmam hastasq; gestare fraxineas, & Parthicos arcus & pharetras loco monilium cingere, & adeo apte omnia, vt ex petulanti regina ueteranum factum militem credas, sed forsan facilia, hæc adsueta quidem regijs in thalamis otio & molliciei, & telum spectare perraro, cum eis omissis animo uirili prædicta, equis insidere didicisset inuicta, & armorum onusta, post uirum per aspera montium & lubrica uallium, die noctéque algores æstusq; superans, citato discurrere cursu, persæpe cõperta est, regalisq; thori loco, nudũ quandoq; solum, & lustra ferarum, durato corpore, cogente somno inpauida premebat vestigia uictori uiro, seu profugo semper comes, adiutrix laborum & consiliorũ particeps intendens ubiq;. Quid multa? pios oculos vulnera, cædes sanguinẽ, quẽ & ipsa pugnãs spiculis

ſpiculis fundebat aliquando, poſſe abſq; horrore conſpicere docuit, & aures cantibus aſſuetas, equorum fremitum, militares tumultus, & claſſica audiere, abſq; mentis obſtupefactione coëgit tandem, cum multa pertuliſſet, etiam robuſto militi grauia, Mithridatem à Gneo Pompeio ſuperatum, atq; fatigatū per Armenios ſaltus pontiq́; latebras, & efferatas quaſcunq; nationes, cum paucis ex amicis ſecuta eſt, nunc afflictum ſpe meliori recreans, nunc ſolatijs, quorum cupidum nouerat demulcens, adeo ut illi tantum conſolationis attulerit, vt in quaſcunq; ſolitudines ageretur, coniugali ſibi uideretur, in thalamo refoueri, O pectus coniugalis dulcedinis ſacrarium, O inexhauſta amicitiæ uirtus, quibus quamque ſanctis viribus muliebrem animum roboraſtis, nulla profecto uſquam uxor, pro uiri ſimilia ne dum grauiora pertulit. Quo merito ſi in eius perpetuam laudem antiquitas uerſata eſt, minimum admirari iure poſteritas poterit, cæterum ex tot laboribus tantaq;, tamq; inclyta fide, benemerita mulier, à uiro non ſatis dignum retulit præmium. Nam is cum ſenex iam filium ex ea ſuſceptum, iratus occidiſſet, & vrgentibus Rhomanorum uiribus, non ſolum in regnum, ſed in regiam ſe recepiſſet, eſto animo moliretur ingentia, & in legationibus uarias atq; longinquas nationes, in bellum aduerſus Rhomanos ſuſcitare conaretur, à Pharnace filio ob eius ſæuitiam in filios, amicosq́; rebellante obſeſſus eſt. Quod cum cerneret, & eum inexorabilem inueniſſet, poſtremum rerum ſuarum arbitratus ruinam, eum reliquis, tam coniugibus, quam pellicibus & filiabus, Hypſicrateam, quæ tot uitæ ſuæ ſubſidia laborando præſtiterat, ne illi ſuperuiueret, ueneno abſumpſit, ſanè ingratum Mithridutis opus Hypſicrateæ meritam gloriæ minuiſſe non potuit, corpus mortale ueneno immatura morte ſublatum eſt, nomen uero eius monimentis uenerandarum literarum ad nos uſq;, & in perpetuum fama celebri uiuet, & à longa quidem poſteritate fraudari non poterit.

DE SEM.

DE SEMPRONIA RHOMAna. Caput lxxviij.

Hæc formosa nimis, faciem, per colla, per artus,
Ingenio præstans, suauis in arte fuit.
Moribus at Veneris, turpiq; Cupidine tincta,
Heu furit indomitum, Marsa venena refert.

SEmproniam alteram, à superiori fuisse celebris ingenij fœminam, sæpius legisse meminimus, sed ut plurimũ ad nefanda procliuem. Hęc maiorum testimonio, genere inter Rhomanos & formositate splendida fuit, & tam viro quam liberis fortunata satis. Quorum cum nomina minime teneam, in id veniamus, vt quæ in fœmina laudari forte possunt, seu ex quibus nomen efful sit, primum locum occupent. Fuit ergo hæc ingenij tam prompti atq; uersatilis, vt & intelligeret illico, & exequeretur etiam imitando, qdquid aliquẽ dicentem aut facientem vidisset aliquando. Hinc cum non solum Latinas, sed & Græcas literas didicisset, ausa est, nec muliebriter, quinimò adeo pspicaciter versus (dum vellet) componere, vt in admirationem etiam traheret qui legissent. Egregium quippe & laudabile viro. Fuit insuper tantæ, tamq; elegantis facundiæ, vt modestiam suadere, iocos mouere, risum elicere, molliciẽ atq; procacitatem excitare volens, posset, & (quod maius est) tam lepidi moris in loquendo fuit, ut in quocunq; sermonis genere verteretur, id facetiæ atq; leporis plenum, audientium auribus inferret. Præterea psallere eleganter, & æque etiam saltare nouit. Quæ quidem (si sanè utantur) forsan cõmendandæ plurimum in fœmina dotes sunt. Cæterum pessimis imbuta facinoribus longe aliter uisa est, nam audatia nimia percita, nõnunquam in uiriles damnandosq; nimium ausus euasit, & dum psallere & saltare instrumenta profecto luxuriæ, in lasciuiam uerteretur, urens libidine ad eam saturandam, fama pudoris matronalis omnino neglecta, homines sæpius requisiuit, quam requireretur ab eis. Cuius huius mali (quod in nõnullis tam ualidum cernimus) existimes fuisse radices, ego naturam, absit, ut damnem, cuius quantũcunq; magnæ sint vires, circa rerum principia, flexibiles adeo sunt, vt eo ferè quo uelis, paruo labore ducas, quod natum est, & si sit neglectũ, semper uergit in peius. Nimia enim (ut arbitror) in adolescentulas maiorum indulgentia, uirginum sæpe damnata sunt ingenia, quibus licentiose (ut sæpius fit) declinantibus in lasciuiam paulatim fœminea cedit trepiditas, & insurgit illico audatia, aucta à stolida quadam opinione, qua asserunt, id decere quod libet, & postquam eo

semel

ſemel itum eſt, ut infectum ſit uirginale decus, & frontis rubor abiectus, vt retrahamus labentes in vacuum labores impendimus, hinc non ſolum libidini hominũ mulieres occurrunt, ſed prouocant. Poſthæc Semproniæ fuit auri cupido permaxima, & vti ad adipiſcendum, turpi queſtui ſe auida ingerebat, ſic in quibuſcunq; ſcelcribus erat in expendendo profuſa, in tantum, vt nullus illi eſſet in auaritia & prodigalitate modus. Exitiale malũ eſt auri deſideriũ, in fœmina & manifeſtiſſimum uitiati pectoris teſtimonium. Sic & deteſtanda prodigalitas, quę quotiens mentẽ ſibi natura aduerſam intrat, uti muliebris eſt, cui infixa tenacitas, nulla præter inopiam, ſalutis ſpes haberi de cætero poteſt, de honeſtate eius, deq; ſuis ſubſtantijs actum eſt, non em̃ ante ſubſiſtunt, quoniam in extremum dedecus, & miſeriam uenerint. Mulierum parſimonia eſt, ad eos ſpectat intra limen cum fide ſeruare, quod quæſitum defertur à uiris. Hæc, quantum auri damnanda cupido & moderata profuſio, tantum laudanda eſt, cũ ipſa ſenſim ſubſtantiarum auctrix, egregia domeſticæ rei ſalus, integræ mentis teſtis, laborum ſolatiũ, & inconcuſſa ſplendidæ poſteritatis baſis, porrò, ut in unum eius, & extremum (ut arbitror) facinus, omnia eius conclaudamus ſcelera, flagrante illa peſtifera fece, ſeditioſiſſimi hominis Lucij Catilinæ, & ſi iniquis conſilijs, & coniuratorum numero, ad deſolationem perpetuã Rhomanæ reipublicæ, in ampliores uires aſſiduæ extollente, facinoroſa mulier ad pleniorem ſuarum libidinum captandã licentiam, id appetens, quod etiã perditis hominibus fuiſſet horrori, coniuratis ſe im̃iſcuit ultro, domus etiam ſuæ penetralia, ſæuis colloquijs patuere ſemper. Verum nequitijs obſiſtente deo, & Ciceronis ſtudio, coniuratorum detectis inſidijs, cũ iam Catilena Feſulas ſeceſſiſſet, in aliorũ exciduum fruſtratã arbitror corruiſſe. Ex quo eius ingenium laudare poſſumus, & ob id illam extollere, turpe exercitium, ut damnemus neceſſe eſt. Nam matronalis ſtola labe factata laſciuijs pluribus, egit, ut in ſuum dedecus euaderet nota Sempronia, ubi ſi modeſtia conſeruaſſet euaſiſſe poterat glorioſa.

DE CONIVGIBVS CYMbrorum. Caput lxxviij.

Si quid in humanum, si quid crudele uidere est,
Inter mortaleis, Cimbrica clades erit.
Ad laqueum heu matres properant, paruosq́ꝫ nepotes,
Illidunt terris, in sua fata trahunt.



Cimbrorum à Gaio Mario acri certamine superatorum prægrandis cõiugum fuit numerus, pudicitiæ sacræ, & constanti proposito laudandus, quinimò extollendus præcipue. Nam quanto fuit quantitas amplior, tanto videntur honoribus sublimandæ maioribus, & hoc ideo quia in castitatis obseruantia deuenisse paucas persæpe legimus, multas conuenisse nunq̃ꝫ aut rarissime audiuimus. Rhomanis ergo rebus florentibus Theutones Cimbriq́ꝫ, & quædam aliæ barbaræ nationes ab Artheone Rhomanum coniurare nomen, & in vnum primum conuenientes, vt eos in fugam verti posse nemo speraret, cõiuges, natos & suppellectilem omnem, secum magno agmine traxere vehiculis. Inde ut omnem Italiam vno, & eodem cõcurrerent impetu tripartito illam intrare agmine, triplici itinere statuere, quibus à consternatis tumultu Rhomanis Gaius Marius consul, in quem inijci omnis reipublicę spes ea tẽpestate videbatur, obuius missus, primos obiectos habuit Teutonũ insolentes duces, aduersus quos in nihilo declinantes certamen cũ cõseruisset,

& longa

& longa pugna partium aliquandiu nutasset fortuna. Postremo multo sanguine fuso terga dedere Teutones. Deinde in Cimbros itum est, & ut Teutones apud aquas Sextias, sic illos in campo Caudio, duplici subit certamine, facta hominum strage permaxima, quod aduertentes cũ cæteris impedimentis se positæ coniuges, non virorum secutæ sunt fugam, sed plaustris, quorum prægrandis illis erat copia, in formam ualli redactis, stulto sed animoso consilio præustis fustibus lapidibus gladijsq́ libertatem suam castimoniamq́ tutari, quam longius possent disposuere, sed acie facta, aduenientibus Marianis militibus, cum non diu obstitissent, sensere quoniam in uacuum conatus disponerent, & ob id si possent inire cum imperatore concordiam, petiere. Erat enim illis infixum animo, si uiros, si sedes auitas, si substantias omnes pugna perdidissent vna saltem, qua possent uia, libertatem & pudicitiam seruare suam. Et idcirco postulauere vnanimes, non fugientium uirorum pacem, nõ in patriam redire suam, non ut sua restaurent auro damna, sed ut omnes Rhomani virginibus vestalibus iungerentur. Quod cũ honestissimum visum foret, & syncerae mentis testimonium, nec impetrassent, succensæ furore in obstinatam voti sui perseuerantiam persæuum iniere facinus. Nam ante omnia collisis in terram paruis filijs atq; peremptis, vt illos qua poterant via turpi seruituti subtraherent, nocte eadem interuallum à se conseptũ, ne & ipse in dedecus suæ castitatis & victorũ ludibriũ traherentur, laqueis omnes, lorisq́ mortem cõstituere sibi prædæ aliud, ex se præter pendentia cadauera auidis liquere militibus. Iuissent fractis hominum viribus aliæ supplices victoribus obuiam, soluto crine tensis manibus, precibus, et ullulatu cõplentes omnia, quod fuisset obscœnius nonnullæ blanditijs, & amplexibus impetrassent si potuissent, suppellectilis conseruationem reditum in patriam, nulla honestatis fœminеæ habita mentione, à se permisissent more pecudum trahi. Ast Cimbræ constanti pectore, melioris fortunæ seruare animos, nec ulla passæ sunt ignominia, maiestatis gentis suæ gloriam fœdare dũq; seruitutem, & turpitudinẽ laqueo obstinate fugerent, non uiribus sed fortunæ crimine, suos homines superatos ostendunt, & castimoniæ suæ paucis abiectis annis, quibus suspendio superuiuere potuissent, uitam longissimã quæsiuerunt. Et vnde miraretur, posteritati liquerunt, tam grandem, scilicet mulierũ multitudinem non ex conuentione, non ex consultu publico, infra noctis unice spacium non aliter, quam si spiritus idem omnibus fuisset in eandem mortis sententiam deuenisse.

DE IVLIA GAIÓ CÆSARIS filia. Caput lxxix.

Hanc Amor insolitus ditauit laude perenni,
Et genus & proaui, quos pius Ancus habet.

IVlia & genere & coniugio forsan totius orbis fuit clarissima mulierũ, sed longe clarior amore sanctissimo & fato repentino. Nam à Gaio Iulio Cęsare, ex Cornelio coniuge Cinnæ quater consulis filia vnica progenita est, qui Iulius ab Ænea inclyto Troianorum duce, permultos reges & alios medios, paternam duxit originem, maternã uero ab Anco quondam Rhomanorum rege, qui gloria bellorum atq; triumphorum, & dictarura perpetua insignis plurimum homo fuit. Nupsit præterea Pompeio magno, ea tẽpestate Rhomanorũ clarissimo viro, qui in vincendis regibus, deponendis, eisq; de nouo faciendis, nationibus subigendis, Piratis extinguendis fauorẽ Rhomanę plebis obtinendo, & regũ orbis totius clientelas acquirendo, non terras tantũ, sed cœlum omne fatigauit diu. Quem adeo illustris mulier esto iuuencula, & ille prouectus ætate ardenter amauit, & ob id immaturam mortem quæsierit. Nam cum Pompeius in comitijs ædilitijs sacrificaturus, ab hostia quam tenebat ex suscepto vulnere se in varia agitãte, plurimo respergeretur sanguine, & ob id uestibus illis exutus, domum aliàs induturus remitteret, contigit, vt deferens, ante alios Iuliam prægnantem haberet obuiam. Quæ cum vidisset uiri cruentas uestes, antequam causam exquireret suspicata, ne forsan Pompeio fuisset violenta manus iniecta, quasi non illi occiso dilectissimo sibi viro, superuiuendum foret, in sinistrum repente delapsa timorem, oculis in tenebras reuolutis, manibus clausis concidit, & e uestigio expirauit. Non solum uiri atq; ciuium Rhomanorum sed maximo totius orbis ca ætate incõmodo.

DE POR-

DE PORTIA CATONIS Vticensis filia. Caput lxxx.

Carbones lambit cæso præclara marito
Portia, qui, fati signa fuere trucis.

PORtia eius Marci Catonis filia fuit, qui post eductas, de Ægypto per ardentes solitudines Libyæ in Africam, Pompeiani exercitus reliquias, victoriæ Cęsaris impatiens, apud Vticam se occidit. Nec equidē insignis mulier, à patria fortitudine atq; perseuerantia degenerasse in aliquo visa est. Hæc aūt (ut alia eius virtutis præclara postponamus) cū etiam viuente patre Decio Bruto nupsisset, adeo eū dilexit integre atq; caste, vt in cæteras muliebres curas hæc esset longe prima atq; præcipua, nec opportuno tempore potuit, honestas amoris flammas casto occuluisse pectore, quę quoniam eius in perpetuam euasere laudē, ad eius ampliandam claritatem se offerunt ultro. Quieuerat iam pestifer tumultus bellorū ciuilium, oppressis à Cęsare ubiq; Pompeianis, tamen in eum dictatorem perpetuū (ut satis animaduersum est) regnū affectantem, senatus pars sanior coniurauerit, quos inter, fuit & ipse Brutus. Qui integritatis Portiæ conscius, cum eidem scelesti facinoris aparuisset arcanum, factum est, vt ea nocte cū dies luxit, qua Cęsar Rhomanis rebus coniuratorum opere subtractus est, exeunte Bruto cubiculum, Portia tonsoris nouaculam sumeret, quasi vnguinū iuit superfluitatē sectura, fingensq; illam sibi casu cecidisse, se ex animo vulnerauit. Sanè astantes ancillulæ, cū manare uidissent sanguinē, aliquid grauius suspicatę clamoreq; abeisdem sublato abiens Brutus in cubiculum reuocatus est, & ab eo obiurgata Portia, quoniā tonsoris pręripuisset officium. Portia aūt semotis ancillulis inqt, minime temerarie factum quod putas est, tentatura aūt quo animo me ipsam gladio perimere, & mortem perpeti possem, si minus tibi pro uotis cepta succederent feci. O inexhausti uigoris amor, & uir tali coniuge felix. Sed quid ultra, in scelus à coniuratis itum est, & occisores occiso Cæsare euasere, non tamen impune, sed cum præter extimatū omnia responderent, à senatu reliquo dānati patricidæ, in diuersa abierunt. Brutus aūt & Cassius in mortem tendentes, nō paruas copias aduersus Octauianum Cęsarem, & Antonum Cæsaris hæredes colligere. Aduersus quos cum Octauianus & Antonius eduxissent exercitum, apud Philippos pugnatū est, & cum victę fugatæq; Cassij Brutiq; partes essent, & ipse Brutus etiā occisus est, Quod cū audisset Portia, nil sibi subtracto uiro lectum futurū existimans, arbitrata nō alio animo mortē passuram, quam olim cultri tonsorij uulnus, confestim in uetus propositū uenit, & cum ad uoluntariam

[Marginal manuscript note: Vide Plutarchum, et Val. Max. lib. 3. tit. i. de Fo[rt]itudine cap. 2 6 4. Et Martialem lib. i. Epigramat. Coniugis audisset. ecc.]

[Marginal manuscript note: Thesaliæ campos]

tariam necem nullum ſibi adeo cito, ut impetus expoſcebat præſtari videbatur inſtrumentum, ignitos carbones quos fortę propinquos habebat, indubitanter manibus gutturi iniectos exhauſit. A quibus præcordia exurentibus, ſpiritus uitalis abire in mortem coactus eſt, nec dubium quin quanto magis inuſitatum mortis genus intulere, tanto occubanti plus fulgoris coniugalis diligentiæ ingeſſere. Cuius etiam fortitudini, patris reſeruatum manibus vulnꝰ nil meritæ laudis potuit auferre.

DE CVRIA QVINTI LVcretij coniuge. Caput lxxxi.

Elogio laudanda decenti Curia ſolers,
Quæ exilium prohibit, condit & arte virum.

CVria Rhomana fuit mulier, etſi nomine fidem dabimus ex proſapia Curionum, ſi operibus mire conſtantiæ, atq; integerrimæ fidei vetuſtatis ſplendidum ſpecimen. Nam ea in turbine rerũ, quã triumuirorũ iuſſu nouæ ꝓſcriptorum in urbe appoſitę tabulæ ſunt, Quintus Lucretius eiuſdem coniunx inueneretur proſcriptus, una cũ pluribus cæteris, fuga celeri patrium ſolum linquentibus, & uix tutã inter ferarum ſpelęas, et ſolitudines montiũ, ſeu apud hoſtes Rhomani nominis, latebram inuenientibus, ſolus ipſe amantiſſimæ uxoris uſus conſilio, inter Rhomana mœnia, intra domeſtici laris paries, intra coniugalis cubiculi ſecretum, in ſinu coniugis intrepidus latuit, & tanta uxoris ſolertia, tanta ſagaci induſtria, tanta fidei integritate ſeruatus eſt, ut præter ancillulam unã conſciam. Nemo etiam ex neceſſarijs arbitrari, ne dũ ſcire potuerit, quotiens ad contegendum, arte facinus credere poſſumus mulierem hanc exoleta ueſte, habitu ſordido, mœſta facie, flentibus oculis, neglecto crinę, nullis comptam de more velamentis, anxio ſuſpirijs pectore, ficto quodam amentis ſtupore, in mediũ prodijſſe, & quaſi ſui inſcia diſcurriſſe patriam, intraſſe templa, plateas ambiſſe, & tremula atq; fracta uoce dum videretur, deos precibus uotiſq; honoraſſe, percontaſſe obuios amicoſq;. Nunquid Lucretium vidiſſent ſuum? an ſcirent, nunquid viueret? etſi uiueret, quorſum fugam ceperit? quibus ſocijs? qua ſpe? præterea ſe ſumopere deſiderare fugæ exilijq; eo incõmodorum comitem fieri, & huiuſmodi plura factitaſſe quæ infelices conſueuere facere, latebris quidem uiri in tegumenta præualida, quibus inſuper blanditijs, quibus delinimentis quibus ſuggeſtionibus, ancillulæ ſecreti conſcię firmaſſe animum ſaxeumq; feciſſe, quibus demum

conſola-

consolationibus spem erexisse viri trepidantis pectus anxiũ animasse, & mœstum in aliqualem traxisse lætitiam, & sic reliquis eadem peste laborantibus, & inter aspera montium maris æstus, cœli procellas, barbarorum perfidias, odia hostium infesta, & manus quandoq; persequentium misere pericli tantibus, solus Lucretius in gremio piissime coniugis tutus seruatus est. Quo sanctissimo opere Curia non in meritam sibi claritatem qnæsiuit æternam.

DE HORTENSIA QVINTI Hortensij filia. Caput lxxxij.

Orat pectore quàm forti, sub iudice caussas,
Quas agere haud melius chare marite queas.

HOrtensia Quinti Hortensij egregij oratoris filia, dignis extolenda laudibus est, cum non solum hortensij patris facundiam, viuaci pectore amplexa sit, sed eum etiam pronuntiandi vigorem seruauerit, quem opportunitas exquisiuit, & qui sæpissime in uiris doctissimis deficere consueuit. Hoc autem triumuirorum tempore, cum matronarum multitudo exigente reipublicæ necessitate, intollerabili ferè onere pecuniæ exoluendę, grauata uideret, nec hominum inueniretur aliquis, qui in rem tam incongruam pręstare patrocinium auderet, sola ausa est constanti animo, coram triumuiris, rem fœminarum assumere, eamq; perorando tam efficaciter in exhausta facundia agere, ut maxima audientium admiratione, mutato sexu rediuiuus Hortensius crederetur. Nec infeliciter opus tam egregium à fœmina præsumptum, aut executum est, nam uti nulla in parte fracta oratione, aut laudabili sui iuris demonstratione defecerat, sic nec exoptato aliquid à triumuiris diminutum est, quinimò concessum libere, ut longe amplior pars iniunctæ pecuniæ demereretur. Arbitrati, quantum sub matronali stola in publicum taciturnitas laudanda videatur, tantum opportunitate exigente, ornatu suo decora sit extollenda loquacitas. Quo tandem facto, non absq; maximo Hortensiæ fulgore, reliquum quod minimum erat à matronis facile exactum est. Quid dicã uidisse, tantum ueteris prosapiæ spiritus in Hortensia afflauisse fœmina, nisi eam merito nomen Hortensiæ consecutum.

DE SVLPITIA TRVSCELLIonis coniuge. Caput lxxxiij.

Exulis illa uiri ſequitur veſtigia lubens,
Quæcꝫ alij poterat nupta manere domi.

SVlpitia Lentuli Truſcellionis coniunx æqua ferè beneuolentia, ſibi adinuenit indelibilem famam. Fuit enim hac eadem qua ſupra procella proſcriptis à triumuiris Lentulus, qui cũ eſſet uolucer, fuga tutatus in Siciliã ueniſſet & ibi exul moraret̃, & inops, facta eius rei Sulpitia certior, in ſentẽtia iuit labores una uelle in coniuge pati, rata indecens eſſe, lætos honores, & fortunam candidam ferre cum uiris, haſcꝫ eorundem erumnas, ſi opportunũ ferre ſit, fuga renuerent. Verũ nec poſt uirũ peregre facile Sulpitia cõſecuta eſt, ſumma quippe diligentia, ne exilium ſequeretur uiri à matre ſeruabatur Iulia. Sed quas non ludit uerus amor cuſtodias, captato igitur tempore ſeruili ſumpta veſte matris cuſtodijsq́ꝫ deceptis, relictis duabus tantum ancillis & ſeruulis, totidem ſociata ſplendida mulier natale ſolum patriosq́ꝫ penates linquens, exulem uirum ſecuta eſt, cũ poſſet lege non prohibente, infelici abdicato marito, nouas celebrare nuptias, nec expauit mulier inclyta perſubterfugia, et maris æſtus, atcꝫ montana, Italia nutrita viri ſequi ueſtigia, eumq́ꝫ per incognitas regiones exquirere, donec cõperto ſe iniunxerit, honeſtius rata permille diſcrimina uitę, uerũ ſequi à fortuna deiectum, quam eo exule laborante, in patria vacare delitijs & quiete. Inclytæ profecto mentis, & prudentẽ uirum potius quam fœminã redolentis, tale iudicium eſt. Non ſemper auro & gem̃is ſplendendum, non ſemper indulgendũ cultui, non ſemper æſtiuus fugiendus eſt ſol aut hyemis pluuiæ, non ſemper colendi ſunt thalami, non ſemper ſibi parcendum, ſed cum uiris exigente fatorum ſerie, ſubeundi labores, exilia perpeti, pauperiem tollerare, pericula forti ferre animo, hæc vxorum ſpectanda militia eſt, hæc ſunt bella, hæ victoriæ, & uictoriarũ triumphi conſpicui molliciem luxumq́ꝫ & anguſtias domeſticas honeſtate, & conſtantia ac pudica mente ſuperaſſe. Hinc illis eſt fama perennis & gloria. Erubeſcant igitur, quę non ſolũ felicitatis umbreculam, totis ſequentur pedibus, ſed & hę magis quæ pro cõmuni coniugij cõmodo, nauſeam timent, leui ſoluuntur labore, nationes exteras horrent & expallent, bouis forſan audito mugitu, cũ inſectandis mœchis fugam laudanti, maria placeant, fortemq́ꝫ animam quibuſcuncꝫ opportunitatibus ſceleſtiſſime preſtent.

DE COR-

DE CORNIFITIA.
Caput xxxiiij.

Carminibus ferit illa suis, altissima coeli
Sydera, concinuit, clara trophæa virum.
Hæc vatum latices recolit, libamina phœbi,
Tinctaq; Castalio dogmata fonte bibit.

CORnifitia vtrum Rhomana fuerit mulier, an potius extera comperisse non memini, uerum testimonio ueterum memoratu fuit dignissima. Imperante autem Octauiano Cæsare tanto Poëtico effulsit dogmate, vt non Italico lacte nutrita, sed Castalio videret latice, & cornificio Germano fratri, eiusdem æui Poëtæ insigni æque esset illustris in gloria. Nec contenta tã splendida facultate valuisse verbis reor sacris impellentibus Musis, ad describendũ Heliconicum carmen, sæpissime calamo doctas apposuit manus colo reiecto, & plurima ac insignia scripsit Epigrammata, quæ Hieronymi prespyteri viri sanctissimi temporibus, ut ipse testatur stabant in precio, nunquid autẽ in posteriora deuenerunt secula non satis certum habeo. O fœmineum decus, neglexisse muliebria, & studijs maximorum uatum applicuisse ingenium uerecundentur segnes, & de seipsis misere diffidentes, quę quasi in otium & thalamis natæ sint, sibipsis suadent se nec ad amplexus hominum, & filios excipiendos alendosq; utiles esse, cum omnia quæ gloriosos homines faciunt, si studijs insudare uelint, habeant cũ eis communia, potuit hæc naturæ, non abiectis uiribus ingenio, & uigilijs fœmineum superasse sexum, & sibi honesto labore perpetuum quæsisse nomen, nec quippe gregarium, sed quod exstat paucis etiam viris rarissimum & excellens.

DE MA-

DE MARIANNE IVDÆORUM regina. Caput lxxxv.

Pulchrior in terris mulier non uisa, nec orta est,
Robore quæ inuicto prædita semper erat.
Hæc fuit Herodis coniunx, Idumæo sanguine creta,
Perdite quam modo amat, quam modo cædit atrox.

MAriannes Hebræa fœmina, genere quam viro felicior Aristobuli Iudæorum regis ex Alexandra regina Hyrtarij regis filia, genita fuit tantæ, tamq; inuisæ pulchritudinis clara, vt non solū eo tempore cæteras formositate fœminas anteire crederetur, sed cœlestis arbitraretur imago potius quam mortalis. Nec credulitati huic Marci Antonij triūuiri testimonium defuit. Erat autem Marianni frater ex eisdem parentibus nomine Aristobulus æque secum pulchritudinis & ætatis. Cui Alexandra mater defuncto Aristobulo genitore principatum dari sacerdotij, ab Herode Mariannis viro atq; rege, sumopere cuperet, Gellij amici suasione amborum effigies optimi pictoris artificio in tabula delinitas, ad Antonium triumuirū extremæ luxuriæ hominem, ad eius se excitandam libidinem, & perconsequens in desiderium suum trahendum in Ægyptum, usq; transmissas aiunt, quas cum uidisset Antonius, primo in admirationem longiusculam constitit, deinde dixisse asserunt, hos quantum ad formositatem profecto filios deesse, & subsequente iuramento, se nunquam & usquam ne dum pulchriores, sed nec similes aspexisse, sed ad Mariannem solam redeundum, hæc quidē & si inaudita pulchritudine fuerit insignis, animi tamen ingenti fortitudine longe magis emicuit. Quæ cum ad nubilē uenisset ætatem infausto homine, Herodi Antipatris Iudæorum regi nupta est, & maximo infortunio suo, sume ob eius uenustatem ab eodem dilecta, qui cū gloriaretur plurimum se solum orbe toto possessorē, pulchritudinis diuinæ, in tam grandem animi curā lapsus est, ne quis alter in hoc posset sibi æquari, ut timeri ceperit, ne sibi superstes euaderet Mariannes. Ad quod euitandum primo dū vocatus est in Ægyptum, ad Antoniū esset iturus, causam dicturus super morte Aristobuli fratris Mariannis à se occisi, et demum Antonio mortuo, accessurus ad Octauianū Cęsarem, & purgaturus, si posset quod amicis Antonij aduersus eum auxilia, præstitisset Ciprinnæ matri amicisq; reliqt, ut si quid in eū q̄ in mortē tenderet, ab Antonio, uel Cęsare seu casu alio ageretur, Mariannem confestim occiderent. O ridenda aliàs sagacissimi, regis insania, ob alienū incertūq; cōmodum, ante uexari & inuidere post fatum, quod occultissime factū fuerat, resciuit tractu tēporis Mariannes,

& cum

& cum iam ab Aristobuli indignam cædẽ in Herodem cõcepisset execrabile odium, arbitrata se ab Herode, non nisi propter pulchritudinis usum diligi, cumulauit iras, uitam suam bis immerito ab eodem damnatã ægerrime ferens, et quamuis Alexandrum & Aristobulum conspicuos puchritudine pueros ex eo enixa foret, in nullo potuit moderasse conceptum, eoq; ferente impetu delapsa est, ut amanti uiro suum negaret concubitum, & dum sperneret, quasi ueteris regis prosapiæ omnis in se resurgeret indoles, gestu quodam elato, illius calcare conabatur potentiam, non verita persæpe dicere palam, Herodem alienigenam non Iudeum, nec regiæ prolis hominẽ, quinimò ignobilem nec idoneum, nec regia coniuge dignum, trucem, insolentem, infidum, scelestumq; et imanem beluam, quæ & si Herodes cum difficultate pateretur, tamen amore prohibente nil sæuum audebat in illam, tandem in peius procedentibus rebus (ut aliquibus placet) à Cyprinna Herodis matre, & Salamonie sorore, quibus sume grauis erat Mariãnes, actum est, ut à subornato ab eiusdem pincerna Herodi accusaretur, quod eum conata sit exorare, ut illi amatorium poculum, quod ipsa parauerat propinaret, seu (ut volunt alij) quod effigiem suam speciosissimam, non eo tempore, quo præmonstratum est, nec matris opere, sed motu suo, post conceptum in Herodem odium, ad Antonium ut illum in sui desiderium prouocaret, & in Herodis odium transmisisset, quæ cum crederet Herodes, & Mariannis in se maleuolentia fidem faceret irritatus & anxio furore succensus, cum amicis longa oratione conquestus est, eoq;, eis suadentibus, & Alexandra Mariannis matre, ad eius gratiam promerendã, deductus est, vt eam tanquam in regiam maiestatem excidium molientem, capitali damnatã supplicio iuberet occidi. Quæ quidem tantum in se excitauit generosi animi, ut uilipensa morte, integro vultus sui seruato decore, nec ulla ex parte fœmineo ritu flexa, & obiurgantem matrem tacita audiret, & flentes cæteros genis siccis aspiceret, & uti in triumphum lætissimum, non solum intrepida, sed aspectu alacri, nullis pro salute sua porrectis præcibus, iret in mortem, eamq; à carnifice ut optatam susciperet. Qua quidem tam immota securitate non solum efferati regis tristatuit inuidiam, sed & plura suo nomine sæcula auxit, quam mortalitati suæ menses, concessisse lachrymis precibusq; suis flexus, potuisset Herodes.

DE CLEO-

DE CLEOPATRA REGINA Ægyptiorum. Caput lxxxvi.

Hæc est quæ tantos mutato fœdere reges.
Prodidit, & nullam nouit habere fidem.
Hæc est, quæ molleis euexit ad astra Cynædos,
Excidium, pestis, dedecus omne fuit.
Hæc est, quæ patriam bellis oppressit acerbis,
Turbauit proprios seditione lares.

Cleopatra Ægyptia fœmina fuit, totius orbis fabula. Et si per multos medios reges à Ptolemeo Macedoniæ rege, & Lagi filio originem traxerit, & à Ptolemei Dionysij seu (ut alijs placet) Minoi regis filia, ad imperandum (per nephas tamen) ipsi regno peruenerit, nulla ferè nisi hac & oris formositate veræ claritatis nota refulsit, cum econtrario auaricia, crudelitate, atq; luxuria omni mundo conspicua facta sit, nam (vt placet aliquibus) vt ab eiusdem dominij initio sumamus exordium, Dionysius seu Mineus Rhomani populi amicissimus, Iulij Cæsaris consulatu primo, in mortem veniens, signatis tabulis liquit, ut filiorum natu maior, quem aliqui Lisaniam nominatum arbitrantur, sumpta in cõiugem Cleopatra ex filiabus etiam natu maiore, vna se mortuo regnarent, quod eo familiarissima esset apud Ægyptios turpitudo, matres filiasq; tantum à coniugijs exclusisse, executum est. Porrò exurente Cleopatra regni libidine, vt nonnullis visum est innocuũ adolescentulũ eundemq; fratrem & uirum suum, quintumdecimũ ætatis annũ agentem, veneno absumpsit, & sola regno potita est, hinc afferunt, cũ iam Pompeius magnus Asiam ferè omnem occupasset armis, in Ægyptũ tendens superstitem puerum mortuo subrogasse fratri, eumq; regem fecisse Ægypti, ex quo indignata Cleopatra, aduersus eum arma corripuit, & sic rebus habentibus, fuso à Cæsare apud Thessaliam Pompeio, & puero rege à se facto littore in Ægypti ato cæso, adueniente post eum Cæsarem, ibidem bellum inter se gerentes inuenit, quos dum ad causam dicendam se coram accersiri iussisset (vt de Ptolemeo iuuene sileamus) vltro armata malitijs mulier Cleopatra, de se plurimũ fidens, regijs insignita notis accessit, & auspicata sibi regnum, si in suam lasciuiam domitorem orbis contraheret, cum formosissima esset, & oculorum scintillantium arte, atque oris facundia ferè quos uellet caperet, paruo labore suo, libidinosum principem in suum contubernium traxit, pluresque noctes, medio Alexandrinorum in tumultu, cum eo comes habuit, concepitq; (vt ferè omnibus placet) filium, quẽ postmodũ ex patris nomine Cæsareonẽ nuncupa-

nuncupauit. Tandem & cū Ptolemeus puer, à Cæsare demissus in liberatorē suum impulsu suorum, bella uertisset, et ad Deltam Mithridati Pergameno in auxilium Cæsaris uenienti, cū exercitu occurisset, ibiq́ à Cæsare qui itinere alio illum preuenerat superatus, fugam scapha tentaret, & plurium intrantium pressa pondere mergeretur, & sic pacatis rebus, facta Alexandrinorū deditione, cum Cæsar esset iturus in Pharnacen Ponti regē, qui Pompeio fuerat, quasi noxium exhibiturus Cleopatræ primum, ac eo etiam quod in fide mansisset, eidem nil aliud optanti regnum concessit Ægypti, Arsinoë sorore deducta, ne forsan ea duce, noui aliquid moliretur in eam, sic iam scelere gemino adepta regnū Cleopatra, in voluptates effusa suas, quasi scortū orientalium regū facta, auri & iocalium auida, non solum contubernales suos, taliū nudos arte sua liquit, uerum & templa sacrasq́ Ægyptiorū ædes, uasis, statuis, thesaurisq́ cęteris, vacuas liquisse traditum est. Hinc occiso iam Cæsare, & Bruto & Cassio superatis, eunti in Syriam Antonio, obuia facta, impurum hominē pulchritudine sua, & lasciuientibus oculis facile cepit, & in amorem suū detinuit misere, eoq́ deduxit, ut quæ fratrem ueneno necauerat, Antonij manu Arsinoem sororem ad suspitionem regiminis amouendā omnem, in templo Dianæ Ephesiæ, quo salutem queritans infelix aufugerat, trucidari faceret, id adulteriorum suorū, à nouo amasio loco primi muneris assumptura, & cū iam scelesta mulier Antonij mores nouisset, uerita non est eidem postulare Syriæ regnum & Arabiæ, sanè cū permaximum uideretur illi, & incongruū nimis, ad satisfaciendum tamen desiderio amatæ mulieris, portiunculas ei ex utroq́ dedit, superadditis etiam ciuitatibus omnibus, quę intra Eleuthreū flumen, & Ægyptum Syriaco littori appositę sunt, Sydone & Tyro retentis, quæ cū obtinuisset, Antonium in Armenos, seu (ut uolunt alij) in Parthos euntem, ad Euphratem usque prosecuta, dū Ægyptum per Syriam repeteret, ab Herode Antipatris tunc Iudęorum rege, magnifice suscepta, non erubuit eidem per intermedios suum suadere concubitū, sibi si annuisset muneris loco Iudeæ subtractura regnum, quod ipse Antonij opere non diu ante susceperat. Verum Herodes aduertens nō solum ob Antonij reuerentiam abstinuit, quinimò ut illum à nota tam incestuosæ fœminæ liberaret, ni disuasissent amici, eam gladio occidere disposuerat. Cleopatra aūt frustrata, quasi ob hoc morā traxisset, eidem locauit redditus Hiericuntis, quo balsamū nascebatur, quod & ipsa postmodum in Babyloniam Ægyptiā transtulit, quo uiget usque in hodiernum, & inde amplis ab Herode susceptis muneribus in Ægyptū redijt. Inde uero in fugā ex Parthis redeuntis Antonio, accersita occurrit. Qui quidam Antonius cū fraude Arthabarzanem Armenie regem, olim Tigranis filium cum filijs, & satrapis cepisset, & thesauris per maximis spoliasset,

atq; argentea cathena victum traheret, ut auidam in suos amplexus prouocaret, effœminatus uenienti captiuũ regem cũ omni regio ornatu, ac præda deiecit in gremium. Quo læta munere cupidissima mulier, adeo blande flagrantem cõplexa est, ut repudiata Octauia Octauiani Cæsaris sorore, illatam totis affectibus sibi uxorẽ iungeret, & Arabicas vnctiones & odoratos Sabeæ fumos, & crapulas sinam, cũ magnificis assidue saginaretur ingluuiosus homo epulis, in uerba uenit, quasi Cleopatræ conuiuia sua extollere vellet, quid magnificentiæ cottidianis cænis posset apponi. Cui respondit lasciua mulier se cęna vna centies, si uellet sextertiũ absumpturam, quod cũ minime fieri posse, arbitraretur Antonius, tamen videndi auidus, atq; liguriendi facere periculum, sumpto Lucio Plauto iudicis loco, quæ postero die cum non excessisset eduliorum consuetudinẽ, & iam sponsionem irrideret Antonius, iussit Cleopatra ministris, vt secundam mensam afferrent illico, qui præmoniti nil aliud quam uas unum aceti acerrimi attulere, ipsi autẽ confestim ex altera aurium vnionem, inexcogitati precij, quem ornamenti loco orientalium more gestabat, sumens aceto dissoluit, & liquefactum absorbuit, & cũ ad alium quam altera in auricula æque charum gerebat, iã manus apponeret, illud idem factura, extẽplo Lutius Plautus victum esse Antonium protulit, & sic secundus seruatus est, victrice regina. Qui quidem postea diuisus Rhomam in Pantheone delatus, auribus Veneris appositus est, diu postmodũ dimidiæ Cleopatræ cœnæ prohibens testimonium prospectantibus, cæterum cum insatiabilis mulieris in dies regnorum auiditas augeretur, vt omnia cõplecterentur in unũ temulento Antonio, & forsan à tam egregia cœna surgenti Rhomanum postulauit imperium, quasi in manibus posse concedere fuisset Antonij, quod ipse (minime cõpos) minus opportune suis Rhomanisq; pensatis viribus, se daturum spopondit. O bone deus quàm grandis poscentis audatia, nec minor spondentis stultitia. O liberalis homo, tot seculis, tanta cum difficultate sanguine fuso, & morte, tot insignum uirorum, tot etiam populorũ, tot egregijs operibus, tot bellis vix dũ quæsitum imperium, postulanti mulieri, non aliter quàm domunculæ unius dominium, inconsulte quasi euestigio daturus concessit. Sed quid? iam ob repudium Octauiæ, belli seminarium inter Octauianum & Antonium videbatur iniectum, & ob id actum est, vt congregatis ex utraq; parte copijs iretur in illud, uerũ Antonius cũ Cleopatra ornata purpureis velis, & aurea classe processere in Epirum, ubi cũ obuijs hostibus inita pugna terrestri cessere uicti, & in classem se recipientes Antoniani in Actium redire, experturi naualis belli fortunã, aduersus quos, Octauianus cũ Agrippa genero factus obuius, ingenti cum classe mira audatia eos aggressus est, & susceptus acriter, tenuit aliquandiu Mars dubius pugnam in pen-

in pendulo. Tandem cum succumbere viderentur Antoniani, prima omnium insolens Cleopatra cum aurea qua uehebatur naui, & 60. alijs fugam cœpit, quam extemplo Antonius deiectis ex prætoriana insiguibus secutus est, & in Ægyptum redeuntes, in cassum vires suas ad defensionem regni, transmissis omnibus filijs ad rubeum mare disposuerunt. Nam victor Octauianus, secutus eos, pluribus secundis prelijs vires exinaniuit eorum, à quibus cũ seræ pacis conditiones peterentur, nec obtinerentur, desperans Antonius (ut nonnulli volunt) Mausolæum regium intrans, sese gladio interemit, capta uero Alexandria cum Cleopatra ingenio veteri, in uanum tentasset, uti iam dudum Cæsarem, & Antonium illexerat in concupiscentiam suam, sic & iuuenem Octauianum illicere, indignans cũ audisset se seruari triumpho, atq; de salute desperans, regijs ornata suum Antonium secuta est, & secus eum posita adapertis brachiorum venis, Hypnales serpentes vulneribus moritura apposuit. Aiunt quidam hos, mortem somno in ferre, in quo resoluta auaritiæ lasciuiæ, atq; vitæ finem sumpsit infelix. Octauiano conante, illis vulneribus uenena admotis, illam in uitam reseruari si posset, sunt tamen alij eam ante pręmortuam, & alio mortis genere dicentes. Aiunt enim Antonium timuisse apparatu. Actici belli gratificationem Cleopatræ, & ob id nec pocula, nec cibos, nisi prægustatos assumere adsueuisse. Quod cum aduertisset Cleopatra, ad fidem suam erga eum prægrandem, pridianis floribus, quibus coronas ornauerat ueneno per litis, capiti q; suo impositis in ludum traxit Antonium, & procedente hilaritate inuitauit eundem, ut coronas biberent, & Cyphum dimissis floribns, cum haurire uoluisset Antonius, manu, à Cleopatra prohibitus est, ea dicente, Antoni dilectissime ego illa sum Cleopatra, quam nouis & insuetis prægustationibus tibi suspectam ostendis, & ob id si pati possem, ut biberes, & occasio data & ratio est. Tandem cum fraudem, ea monstrante, nouisset Antonius, eam in custodiam deductam, poculum quod ne biberet prohibuerat exhaurire coëgit, & sic illam exanimatam uolunt. Prior fulgarior est opinio, cui additur ab Octauiano compleri iussum monumentum, quod Antonius incipi fecerat, & Cleopatra, eosq; simul in eodem tumulari.

DE ANTONIA ANTONII filia. Caput lxxxvij.

Constantis viduæ specimen præbere solebat,
Hæc mulier, sacro numine tincta Dei.

ANtonia minor clarissimæ viduitatis exemplũ indelebile posteritati reliquit. Hæc etenim Marci Antonij triumuiri ex Octauia (vt creditur) filia fuit, & ideo minor cognominata, quia illi soror esset natu maior, & eodem nomine nuncupata. Nupsit cuidam Druso Tyberij Neronis fratri, & Octauiani Augusto priuigno, & ex eo peperit Germanicum, atq; Claudium, postea Augustum & Linillam, qui dum Germanicæ expeditioni vacaret (ut quidam arbitrantur) Tyberij fratris sui opere, ueneno perijt, cuius post mortem cum ætate florida, atq; conspicua formositate niteret, rata satis honeste mulieri nupsisse semel, à nemine potuit ad secundas nuptias prouocari, quinimò reliquum vitæ spacium, Sub Liuia socru, intra limites cubiculi viri sui, adeo caste, adeo sancte transegit, ut præteritarum omniũ matronarum laudes uiduitate celebri superaret, equidem inter Cinciñatos, Fabricios Curiosq́; & Lucretios atq; Sulpitios sanctissimum splendidissimum est, etiam prouectis ætate mulieribus, & Catonũ filiabus absq; lasciuiæ nota duxisse uitam, & laude plurima extollendum. Quod si sic est, quibus prosequemur preconijs iuuenem pulchritudine insignem, & Marci Antonij spurcissimi hominis familiam, non in syluis & solitudinibus, sed inter imperalia otia, atq; delitias, inter Iuliam Octauiani filiam, & Iuliam Marci Agrippæ libidinis, & lasciuiæ feruentissimos ignes, inter Marci Antonij genitoris sui, atq; Tyberij postea principis obscenitates & dedecora, in patria olim frugi, nunc turpitudinibus omnibus dedita, inter mille concupiscentiarum exempla, cõstanti animo & forti pectore castimoniam, non per tempusculum, & in spem futuri coniugij, sed uirtuti obsequentem in senectutem, & mortem usq; seruantem, Ædepol nil dignum relictum satis est verbis, consideratione forsan aliquid superextat, quod quidem quia uires excedit scribentium, considerantium merita consideratione extollendum satis sacri ingenij reliquisse.

DE AGRI-

DE AGRIPPINA GERMANICI coniuge. Caput lxxxviij.

Maluit illa fame uitam finire recocta,
Quàm iuga ferre mali regis iniqua, tenax.

AGrippina Marci Agrippæ, ex Iulia Octauiani Cæsaris genita fuit, esto Caius Caligula eiusdem Agrippinæ filius, iam orbis princeps, abhorrens Agrippæ aui materni rusticitatem diceret, eam non ex Agrippa, sed ex stupro Octauiani in Iuliam filiam perpetrato, fuisse progenitam, stolide credi cupiẽs, se nobiliorem ex tam incestuosa concepta matre natum, quam ex ignobili patre sacrata lege suscepta, sed cuiuscunque fuerit filia, Germanico suæ ætatis insigni iuueni, & plurimum rei publicæ opportuno, ac Tyberij Cæsaris Augusti filio adoptiuo, nupta est, satis ob hoc fulgida, sed fulgidior, quod insolentissimi principis obstinato proposito recudisset perfidiam. Hæc cum ex Germanico uiro suo, tres iam enixa fuisset mares, ex quibus unus Caius Caligula, qui postmodum Rhomanis rebus præfuit, & totidem æque fœmellas, ex quibus Agrippina Neronis Cæsaris mater, cum opere Tyberij patris (vt pro comperto habitum est) ueneno sublatũ ægreferret, & fœmineo ritu, planctu plurimo celeberrimi iuuenis uiri sui necem defleret, in Tyberij odium incidit, adeo, ut ab eodem eam brachio tenente obiurgationibus fletum usque infestante, quod nimium ferret inpatienter, se rebus principari non posse, & pluribus deinde in processu lacessitam apud senatum criminationibus, custodiri iussit insontem. Porrò egregia mulier indignum rata, quod in se agebatur à Cęsare, morte fastidia stomachosi principis effugere, aut finire disposuit, qui cũ aliter satis cõmode non daretur, famem generoso animo accersire statuit, confestim à quocunque cibo abstinere cepit. Quod cum esset relatum Tyberio, & aduertisset ignauus homo, quo ieiunium tenderet mulieris, ne tam certa uia, tanquã breui spacio sese suis subtraheretur iniurijs, nil proficientibus minis, aut uerberibus, cũ cibum caperet, eo usque, ne sibi auferretur sæuiendi in eam materia deductus est, ut cibum gutturi eiusdem uiolenter impingi faceret, ut quocunque modo stomacho fuisset iniectus, alimenta uolenti perire præstaret. Agrippina uero quanto magis exacerbabatur iniurijs, tanto acrioris efficiebatur propositi, & incepto perseuerans scelesti principis insolentiam moriens superauit, ostendens cũ multos posset facile dum uellet occidere, unum solum mori uolentem, totis sui dominij uiribus uiuum seruare non posset, qua quidem morte & si plurimum gloriæ sibi apud suos quæsiuerit Agrippina, Tyberio tamen longe amplius ignominæ liquit.

DE PAVLINA RHOMANA fœmina. Caput lxxxix.

Simplicitate fuit Paulina ſuperſtitioſa,
Quam iuuenis ſpecie luſit Anubis amans.

PAulina Rhomana mulier, quadã ridicula ſimplicitate ſua, ferè indelebile nomen conſecuta eſt. Hæc Tyberio Cæſare Auguſto Rhomanis imperante, uti præ cęteris matronis formoſitate oris, & corporis venuſtate habebatur inſignis, ſic nupta inclytæ pudicitię ſpecimen reputabatur à cunctis, nec aliud præter uirum ſtudio curabat præcipuo, quam ut Anubi Ægyptiorum deo, quem tota veneratione colebat, obſeꝗ poſſet, & eius promereri gratiam. Sanè cũ ubiꝙ à iuuenibus ſpecioſæ amẽt, & hæ potiſſime, quibus eſt ſolers caſtimonia cura pulchritudinis, huius iuuenis unus Rhomanus cuius Mundus nomen erat, eam impenſe nunc oculis, geſtibus, facetijs, nunc promiſſionibus, atꝙ muneribus, nunc precibus & blanditijs ſollicitare ceperat, ſi forte poſſet obtinere, quod ardẽter optabat, ſed omnia fruſtra caſtiſſima mulier ſoli viro dicata, amantis cuncta ſinebat in auras, qui cum ceptis inſiſteret, aduerteretꝗ aperto calle, ſibi mulieris conſtantia viam prERipi, in fraudes uertit ingenium. Conſueuerat autem Paulina Iſidis templum ſingulis diebus viſitare, ſacriſꝗ continuis placare Anubim, quod cũ nouiſſet iuuenis, amore oſtendente dolum inauditum excogitauit, & ratus Anubis ſacerdotes votis ſuis plurimum poſſe conferre eos audiuit, illoſꝗ & ampliſſimis donis in ſuam deduxit ſententiam, actumꝗ eſt eo præmonſtrante, ut ex eis ſenectute venerabilior, venienti more ſolito Paulinę placida uoce diceret, noctu ad ſe ueniſſe Anubẽ, eiꝗ iuſſiſſe, ut eidem diceret, ſe deuotione ſua delectatum plurimum, ſeꝗ eo in templo per quietem eius deſiderare colloquium, quę cum audiſſet Paulina, ob ſanctitatem ſuam hæc cõtingere arbitrata, in im̃enſum ex dictis ſecum gloriata eſt, adeoque uera credidit, uti à deo Anube auribus ſuis percepiſſet ipſa mandata, uiroꝗ ſuo retulit omnia. Qui ſtolidior coniuge annuit petenti, ut pernoctaret in templo, Stratus ergo æde in ſacra, ignaris omnibus, præter eã & ſacerdotes lectus deo dignus, & tenebris iam terrã obumbrantibus, intrat Paulina, locum arbitriſꝗ remotis, poſt orationes & ſacra Deum expectatura lectum adit. Cui iam ſoporatæ Mundus à ſacerdotibus intromiſſus, & expoſito ornatu Anubis tectum affuit, & cupidus amatæ, à ſe mulieris ruit in oſcula, iubetꝗ excuſſo ſomno abſtupeſcenti bono animo eſſe, ſe Anubem à ſe tã diu veneratum fore, è cœlo ſuis precibus, atꝙ deuotione lapſum, et in eius ueniſſe concubitum, ut ex ſe eaꝙ ſimilis gigneretur deus, quæ ante alia petijt ab Amaſio, quid

ſio, quid ſuperi aut poſſent, aut cōſueuiſſent miſceri mortalibus? cui eueſtigio Mundus reſpondit, poſſe, Iouemq́ per tegulas in gremiũ Danaës lapſum, dedit exemplum, & eo accubitu genuiſſe Perſeum, qui poſtmodum in cœlum aſſumptus eſt, quibus auditis Paulina lætabunda petito annuit. Intrat Mundus nudus pro Anube lectum, & amplexu coituq́ fruitur optato. Sed cum iam nox iret in diem, abiens luſæ dixit eam filium concepiſſe. Mane autem facto, ſublato è templo à ſacerdotibus lecto, Paulina viro, quæ acta ſunt retulit, credidit inſulſus homo, & applauſit coniugi enixuræ deum. Nec dubium, quin ab ambobus fuiſſet expectatum pariendi tempus, ni iuuenis ardens minus caute dolum apperuiſſet, is quidem forte conſcius, eam auide in amplexus & coitum veniſſe, arbitratus, ſi proſtratam à ſe ingenio ſuo eius oſtendiſſet pudicitiam, flexibilem magis & auidam æque noctis futuram. Et ſic faciliori via iterum, & ſæpius in concupitos poſſe redire amplexus, eunti ad templum Paulinæ factus eſt obuius, dixitq́ voce ſubmiſſa, beata in quam es Paulina, cum ex me Anube Deo conceperis. Verum longe aliter quàm arbitraretur ſucceſſit ex verbo, nam cui obſtupuiſſet Paulina, & in mentem ex geſtis auditisq́ reuocaſſet plurima, confeſtim fraudem ſenſit, & turbata ſe ad virum retulit, eiq́ Mundi atque ſacerdotum dolum, vt ipſa percipiebat aperuit, ex quo ſubſecutum eſt, vt vir conquereretur Tyberio, à quo comperta fraude actum eſt, ut ſacerdotes afficerentur ſupplicio, & Mundus mulctaretur exilio, & luſa Paulina in Rhomani uulgi uerteretur fabula. Notior etiam clarior ſimplicitate ſua, & Mundi fraude facta, quam ex Anubis deuotione, & ſeruata caſtimonia tam ſolenniter.

DE AGRIPPINA NERONIS Cæſeris matre. Caput xc.

Hæc eſt, quæ fuerat uiuens infamia mundi,
Imperij labes, ſpucitiesq́ʒ ſui.
Naſcitur inde Nero, ſcelerum vir, publicus hoſtis,
Perfidus, ingratus, raptor, iniquus atrox.

AGrippina Neronis Cæſaris mater, genere, conſanguinitate, imperio, & monſtruoſitate filij, ac ſua, non minus quam claris facinoribus emicuit. Hæc etenim Germanici Cæſaris optimi, atq́ʒ laudandæ indolis iuuenis ex Agrippina ſuperiori, filia fuit vocata Iulia Agrippina, & Cai Caligulæ principis ſoror, nupſitq́ʒ Cneo Domicio homini ex Ænobardorum familia faſtidioſiſſimo atq́ʒ graui, ex quo Neronem inſignem toto orbi beluam, præmiſſis ex materno vtero pedibus peperit, uerum Domicio intercutis morbo abſumpto, Nerone adhuc paruulo, cum formoſiſſima eſſet, Caius frater eius homo ſpurciſſimus, turpi ſtupro ea abuſus eſt, & ſublimatus in principē, ſeu minus eius mores approbans, eo quod ſe lepido dominij ſpe miſcuerit, ſeu Æmuli alicuius impulſu, eam ferè bonis omnibus priuatam relegauit in Inſulā. Quo tandem à militibus ſuis trucidato, eiq́ʒ Claudio ſubſtituto ab eodem reuocata eſt, quæ tractu temporis, cum audiſſet Valeriam Meſſalinam, varijs agentibus meritis confeſſam, ſpem eueſtigio intrauit, ſibi natoq́ʒ potiundi orbis imperij, & cœlibem principem, eſto Germanici patris ſui fuiſſet frater, decora pulchritudine ſua, aduerſus Lolliam Paulinam, opitulante Calixto Liberto, & Æliam Petinam Narciſſo fauente, opere Pallantis, Claudium in prę grande nuptiarum ſuarum deſiderium traxit. Sed obſtare voto videbatur honeſtas, eo quod illi neptis eſſet ex fratre, verum oratione Vitellij, ſubornatu actum eſt, vt in deſiderium ſuū cogeretur precibus ſenatorum, eoq́ʒ orante fieret à ſenatu decretum, quo præſtaretur patruos poſſe neptes inducere, & ſic Agrippina volente Claudio, & orāte ſenatu, eius venit in nuptijs, quæ tandem Auguſta dicta eſt, & carpento in Capitolium ferebatur, ſolis ſacerdotibus ante conceſſum, & in aduerſos ſibi, ſæuire cœpit ſupplicijs. Demum cum aſtutiſſima eſſet mulier tēpore captato, quamq̄ utriuſq́ʒ ſexus filij eſſent Claudio, eū induxit, ſuadente illi Mem̄io Pollione tunc conſule, & urgente plurimum Pallante liberto, qui ob ſtuprum, Agrippinæ ſum̄e fautor erat, vt Neronem priuignū in filium adoptaret Claudius, quod ante in familia Claudiorum factū nemo meminerat, eiq́ʒ Octauiam q̄ ex Meſſalina ſuſcepit, & q̄ Lucio Syllano nobili iuueni deſponſata fuerat, ſponderet, in coniugē, quibus obtentis

tentis rata in casses beluam incidisse, non tantum Claudij assiduarum in gurgitationum affecta tædio, quantum ne ante patris mortem, Britãnicus Claudij filius, in ætatem solidam deueniret exterrita, Narcisso etiã pro Britannico multa perorante, quasi proposito suo futurum obicem, arbitrata in mortem Claudij facinus exitiale cõmenta est, delectabatur quidem Claudius boletis plurimum, illosq; cibos dicebat deorum, & ideo absq; semine sua nasci sponte. Quod cum aduertisset Agrippina, studiose coctos infecit veneno, eosque (secundũ quosdam) ipsa apposuit temulento. Alij uero dicunt, epulante in arce cũ sacerdotibus Paralotum Sarpadonem prægustatorẽ suum ab Agrippina corruptũ appositos. Verum cũ vomitu & alui solutione videretur salus Claudij secutura, opere Xenophontis medici, illitis veneno pennis ad uomitũ continuandũ porrectis, eo itum est, quo cupiebat uxor, ipse tandẽ in cubiculũ reductus, ignaris omnibus præter Agrippinam mortuus est, cuius quidẽ mors non ante ab Agrippina palã nunciata est, q̃ amicorum suffragio, omisso Britannico tanq̃ iuniore, Nero iam pubescens sublimaretur in principem, quod adeo gratum fuit Neroni, ut matrem illico tanquam bene meritam, in cunctis tam publicis quã priuatis præponeret, uidereturq; sibi titulũ, matri uero principatum sumpsisse. Et sic effœtula Rhomani principatus Agrippina toto effulsit orbi. Cæterum splendor iste tã grandis, turpi macula labefactus est, nam cæde plurimum atq; exilijs aliquandiu debacchata est. Præterea creditũ fuit, ea patiente præter naturalem in matrẽ dilectionem amore illecebri à filio fuisse dilectam, cũ is meretricem ei persimilẽ, inter pellices assumpsisset, & concubitum testarentur persæpe maculæ vestibus iniectæ, quotiens cũ ea lectica delata est. Dato uelint alij eam in facinus hoc filium attraxisse, desiderio recuperandi dominij, à quo deiecta videbatur, eo quod in Neronem q̃busdã ex causis multum oblocuta fuerat, quod firmari nolunt ob id, quod de cætero Nero sit adsuetus fugere eius contuberniũ, & solitudines collocutionum. Attamen quæ Patrinũ in coniugium suũ allexerat, boleto peremerat, ineptum iuuenem fraudibus & violentia sublimaret imperio, indetestabilẽ quanq̃ meritam mortem deducta est. Nam cũ in multis filio grauis esset, eius meruit odiũ, ex quo omni honore & augustali maiestate ab eo priuata est, quæ ĩdignans & fœmineo irritata furore, eidem uti procurauerat, sic se subrepturam imperiũ minata, quibus exterritis Nero, cũ eam & occulatam nimiũ nosceret, & ob memoriam Germanici patris amicorum subsidijs plenam, ueneno ter illam surripere conatus est. Sed discreta mulier antidotis offensam vitauit. Demum cũ & laqueos cæteros, quos in necem eius tetenderat euitasset, intellexit Nero cautiori fraude agendum fore, eiq; exposcenti, ab Aniceto præfecto classis, apud Misenum olim, à pueritia nutritore suo responsum est, nauim posse

componi

componi fragilem, in qua suscepta Agrippina doli ignara periclitari posset, quod cum Nerone placuisset, eam ab Antio venientem, quasi præteritorum odiorum pœnitens, ficta filiali affectione suscepit in ulnis, & usq; domum prosecutus est. Inde apparata naui in suam perniciem, ad cœnam itura illam conscendit, comitantibus Creperijo Gallo, & Acerronia libertis, eisq; per noctē nauigantibus dato signo à conscijs, cecidit tectū nauis, plurimo plumbo graue, & oppressit Crepertium, deinde nautis agentibus, ut tranquillo mari nauis uerteretur in latus, auxilia Aceronia inuocante contis remisq; occisa est, & Agrippina humero saucia, & in mare tandem deiecta, à littoralibus suffragantibus in Lucrinum lacum uillamq; suam deducta est, inde ea iubente, ab Egerino liberto Neroni, quoniam euasisset nuntiatum est, qui detineri illum iussit, quasi saluti suæ insidiaturus venisset, missiq; sunt Anicetus & Herculius Tetrarchus, item & Centurio Classiarius, ut illam perimerent. Et cum esset ab Aniceto circumdata domus, & ancillula, qua sola sociata erat Agrippina fugisset, introgressi ministri ad eam, primus Herculius caput eius fuste percussit, inde cum ipsa cerneret Centurionem ferrum in mortem eius expediētem, protenso utero clamauit, ut uentrem ferirent, & sic occisa nocte eadem cremata est, & uilibus exequijs terra contecta, leuem demum tumulum sui, in uia prope miscuum, & Cæsaris Iulij villam eidem apponentibus. Alij uolunt à Nerone conspectam post cedem, & ex membris aliqua ab eodem damnata, aliqua laudata & demum sepultam.

DE EPITARI LIBERTINA fœmina. Caput xci.

Maluit illa mori, sacro quàm rumpere verba,
Conspiratorum fœdere pacta virum.

EPitaris extera potius quam Rhomana creditur fœmina, nec tantum ullo generis fulgore conspicua, sed à Liberto genita patre, Libertina mulier fuit, & quod longe turpius est, nullis delectata bonis artibus, circa tamen vitæ exitum, sibi generosum fuisse animum patefecit virili robore: crescentibus quidem apud Rhomanos & Italos omnes, Neronis Rhomanorum principis in solentijs lasciuijsq;, eo itum est, vt Lucio Pisone, principe in eum nonnulli senatorum aliorumq; ciuium conspirarent, dumq; rem in finem trahere varijs tentarent colloquijs quo pacto nescio, sed in notitiam Epitaris prædictæ deuenere omnia, & coniuratorum nomina. Verum

cum iudicio suo nimium protraheret opus, quasi tædio affecta, in Cãpaniam successit, & dum apud Puteolos forte resideret, ne tempus sineret abire uacuum, Volusium Proculũ Chinolartem classisq; Rhomanæ præfectũ, & olim Agrippinæ interfectorem conuenit, rata multum emolumenti addere coniuratori, si eũ trahere posset in partes, & ostensis longo ordine Neronis flagitijs, fastidijs, ineptisq; moribus & insolentijs, & inde eius in eũ ingratitudine, qđ ob tam grande facinus Agrippinæ scilicet cædis, in re nulla tanquam bene de se meritum promouisset, cõiurationem aperuit, totisq; viribus conata est eum coniuratis addere sotiũ. Sed longe aliter quam arbitraretur Epitaris, secutum est, nã Volusius experturus, nunquid obsequijs in se principis gratiã flectere posset, quã cito illi Cæsaris copia concessa est, Epitaris dicta reserauit omnia, esto non egerit quod rebatur, nã ambiguo adhuc homini, astuta mulier nullã conspirantium notam ediderat. Ea autẽ accita, fieri non potuit, ut ex rogatis quicq̃ aperiret rogantibus. Tandem cũ seruaretur sub custode, cõiuratione per coniuratos ipsos casu patefacta, iterum in examen reuocata, quasi suppliciorum oneribus impatientior, facilius ab ea quod optabatur extorqueri posset, post lõgos cruciatus carnificibus etiã inferentibus ultro, ne superari uiderent̃ à fœmina, nullum constantissimi pectoris reserauit arcanum. Tandem in diẽ reseruata posterum, cũ pedibus ire nõ posset timens, si tertio uocaret̃, nõ posse sustinere, solutam pectori fasciam, arcui sellæ, qua vehebat̃ implicuit, & facto laqueo gutturi iniecit suo, & cũ omnem illi corporis dimisisset molem, ne cõspiratis obesset, uiolentam sibi mortem consciuit. Veteri frustrato prouerbio quo docemur, tacere quod nesciunt mulieres, & sic Neronem uacuũ trepidumq; reliquit. Quod quidem & si maximũ uideatur in fœmina, longe tamen spectabilius est, si spectetur eiusdem cõiurationis egregiorũ hominum inconstantia, quorũ aliunde q̃ ab Epitari cognitorum, nemo tamen robustæ iuuentutis fuit. Qui ne dum pati pro salute propria, quod pro aliena fœmina passa est. Sed nec audire tormentorũ nomina pateretur, quinimò percontanti cõfestim, quæ nouerat de conspiratione narraret, sic nemo sibi amicisq; pepercit, cum cunctis nisi sibi fœmina pepercisset inclyta. Oberrare crederem naturam rerum aliquãdo, dũ mentem mortalium corporibus nectit, illam scilicet pectori infundendo fœmineo, quam uirili imisisse crediderat. Sed cum Deus ipse dator talium sit, eum circa opus suum dormitari nephas est credere. Sumamus ergo perfectas omnes arbitrandũ est, nunqd tamen seruemus ipsum indicat opus? Erubescendum nempe hominibus reor, ne dũ à lasciuia fœmina, sed etiam à constantissima quacunq; laborum tolerantia vincuntur. Nam si pręualemus sexu, cur non & ut fortitudine præualeamus decens est, quod si non sit cum ipsis effœminati iure de moribus transegisse uidemur.

DE POM-

DE POMPEIA PAVLINA Lucij Annei Senecæ coniuge. Caput xcij.

Nobilis hæc Senecæ coniunx charissima, uterqꝫ
Fortiter hic moritur, fortiter illa adamat.

POmpeia Paulina Lucij Annei Senecæ pręceptoris Neronis inclyta fuit coniunx. Vtrum autem Rhomana, an alienigena fuerit legisse non recolo, attamen dū spiritus eius gloriositate intueor, credisse malim Rhomanam fuisse potius quam forensem. Cuius & si certa careamus origine, certissimo tamen pijssimi eius amoris in uirum exemplo, illustrium uirorū testimonio non caremus. Credidere quidem ex honestissimis illius æui hominibus, quam plurimi, sæuicia Neronis potius quam crimine Senecæ, eundem Senecam senem atqꝫ celeberrimum virum, Pisonianæ coniurationis labe notatum (si labes vir dici potest) in tyrannum agere quid aduersum, qua sub umbra, ob vetus (imò ob innatum in uirtutes odium) ab ipso Nerone sæuiēdi in Senecam via comperta est. Esto arbitrati quidam sint impulsu Poppeæ atqꝫ Tigillini, unicū imperatori crudelitatis consilium, eo itum sit, vt indiceretur per Centurionem Senecæ, ut sibi mortem deligeret, quem cū se ad executionem accingentem vidisset Paulina, sepositis consolatorijs viri ad uitam blanditijs, quibus hortabatur, castissimi amoris impulsu, mortem & illud idē mortis genus forti animo capescere, vna cum coniuge disposuit, vt quos vinctos honesta uita tenuerat, vinctus mors una dissolueret. Et cum impauida tepentem intrasset aquam, & eadem hora cum uiro ad effundendum spiritum venas aperuisset, iussu principis cuius in eam nullum erat particulare odium, ad opprimendam paululum infamiam innatæ crudelitatis renitens, à seruis morti subtracta est. Verum non adeo cito sanguis consistere coactus est, quin pallore perpetuo testaretur, mulier optima plurimum uitalis spiritus emisisse cum uiro. Tandem cum paucis annis viri memoriam laudabili uiduitate seruasset, cum aliter no posset nomine saltem Senecæ coniunx, clausit diem, quid præter amoris dulcedinem, & conspicuū pietatis insigne, ac uenerabile sacrum coniugij suasisse potuisset mulieri optimæ, malle honeste si potuisset, cum sene coniuge mori, quam uitam (ut plurimum faciunt fœminæ) secundis nuptijs non absqꝫ erubescentia ineundis seruare, etenim in maximū matronalis pudicitię dedecus, nonnullis his diebus non dicam secundum, aut tertium (quod omnibus ferè cōmune est) sed sextum septimū & octauum, si casus emerserit, inire

connubium, adeo familiare est, & nouorum virorum thalamis inferre facies, vt uideantur morem meritriculis abstulisse, quibus cõsuetudo est pernoctando, nouos sæpissime mutare concubitus, nec alio subeunt vultu iugalia sæpius iterata iura, quam si per sanctissimum honestati præstarent obsequium. Equidem non satis certum est, an ex lupanaris cellula, an ex præmortui viri thalamo, tales exire dicendæ sint, nec dubitem suspicandum, quis agat? aut inhonestius intrans, aut stultitius introducens, Heu miseri quo nostri corruere mores? consueuere veteres, quibus erat pronus in sanctitatem animus, ignominiosum arbitrari, ne dum septimas sed secundas inisse nuptias, nec posse de cætero tales honestis iure misceri matronis. Hodiernæ longe aliter, nam libidinosam pruriginem reticentes, suas formositates cariores'q; se existimantes, quoniam crebris sponsalitijs viduitatis superata fortuna totiens placuerint maritis varijs.

DE POPPEA SABINA NEronis Cæsaris coniuge.

Caput xciij.

Poppea prægrandes fertur fecisse solœcos,
 Corpore fœda nimis, blanda sed ore nitet.
Ingenio fuit illecebri, nullo'q; pudore pudenda,
 Omnibus ex æquo, præbuit illa salax.

SAbina Poppea Rhomana & illustris fuit fœmina Sabini Poppei, non equidem extremæ nobilitatis uiri filia, quanquam non ex eo nomen sum

M psérit,

pſerit ſed à materno auo Poppeo Sabino viro inclyto, atq; triumphalis decoris & conſolatu inſigni, nec illi cæteræ muliebres defuiſſent dotes, ſi honeſtus fuiſſet animus. Fuit enim formoſitatis inuiſæ, & matri ſuis annis cæteras Rhomanas pulchritudine excedenti perſimilis. Præterea erat illi ſermo blandus & laudabili ſonorus dulcedine, ingenium egregium, atq; verſatile, ſi ea honeſtis artibus fuiſſet uſa. Mosq; illi fuit aſſiduus, palam modeſtiam præferre, clàm autem uti laſciuia (commune mulierum crimen) & cũ illi rarus eſſet in publicum egreſſus, arte tamen non caruit. Nam cum intellexiſſet callida mulier intuitu oris ſui multitudinem, & primores potiſſime delectari, ſemper ei9 parte velata egreſſa eſt, non quidem vt abſconderet quod concupiſci deſiderabat, verum ne intuentium oculos liberali nimium demonſtratione ſaciaret, ſed potius quod occultauerat velo, videnti deſiderium linqueret. Et ne per mores omnes ſuos diſcurram cum nunquam famæ parceret, eo libidinem flectebat ſuam, quo paratior oſtendebatur vtilitas, nullum faciens inter maritos mœchosq; diſcrimen. His inſignita notis fœmina, obſequentem ſatis fortunam habuit. Nam cum ſibi abunde facultates ad gloriam generis ſuſtinendã ſuppeterent, primo Ruffo Criſpo Rhomano equiti nupſit. Et cum iam ex eo peperiſſet filium, ſuggeſtu Othonis iuuentute luxuq; valentis potentisq;, Neronis contubernio eidem Othoni adhæſit adultera, nec diu & coniunx effecta eſt. Sanè is ſeu amoris feruore minus cautus, ſeu iam nequiens petulantis mulieris tollerare mores, & ob id eam in Neronis concupiſcentiam trahere conaretur, ſeu ſic exigente fortuna Poppeæ, è conuiuio Cæſaris ſurgens auditus dictitare conſueuerat, ſe ad illam rediturum, cui à ſuperis omnis penitus fuiſſet conceſſa nobilitas, elegantia morũ, & diuina formoſitas, in qua cõſiſterent omniũ vota mortaliũ, atq; gaudia voluptatesq; feliciũ. Quibus facile irritata Neronis libido, adinuenta non longa cunctatione, per intermedios adeundi via in amplexus principis volens cupiensq; deuenit. Nec multum diſtulit, & artificioſis fœminæ delinimẽtis, adeo irretitus eſt Nero, ut arbitrarẽt ea eſſe ueriſſima, q̃ dictitare conſuererat Otho, quod cũ noſceret ſagaciſſima mulier, diſſimulans q͂ optabat, captato tempore fictis perfuſa lachrymis aiebat, aliqñ ſe amorem ſuũ omnino, quo cupiebat inferre non poſſe, cũ & ipſa Othoni coniugali iure, obnoxia eſſet, & principẽ teneri gratia Atis ancillulæ pellicis aduertebat. Ex quibus ſecutũ eſt, vt Otho ſub ſpecie honoris amotus præfectus Biſitaniæ prouinciæ mitteretur, et Atis excluderẽ omnino. Inde in Agrippinã principis matrẽ inuehi cœpit Poppea, dicens, aliquando principem nedũ imperio, ſed nec libertate gaudere, & eum eſſe puſillum e nutricis arbitrio trahi. Quibus obſtante nemine ob odiũ ferè omniũ in ſuperbiã Agrippinæ actum eſt, ut Neronis iuſſu, miſera mater violenta morte ſubtraheretur. Æmuli plures Ti-

res Tigillino opitulante castrorum præfecto, tandem cum principem in sui dilectionem ardentissimum cerneret, & obstacula desiderij sui cuncta fore sublata, in coniugium Neronis explicare retia cœpit. Et cum illi iam pepe-risset filiam vnicam, Memmio Regulo & Virginio Ruffo consulibus, quam summo cum gaudio Nero susceperat, eamq; Augustam Poppeam nuncupa-rat, iam audaci oratione instare cœpit, dicens, nemini geminam concessisse noctem, quin euestigio sequeretur connubium, neq; se fore degenerem, & fœcunditate uteri atque formositate corporis imperatoris mereri nuptias, & cum flagrantem principem in desiderium traxisset connubij, primo Octauia coniunx, olim Claudij Cæsaris filia, in Pandeteriam insulam innocua rele-gata est; & demum vigesimo ætatis suæ anno, impulsu Poppeæ Nerone mandante occisa, & Poppea Cæsari iuncta coniugio, sed non diu longis ar-tibus quæsito, atq; potito columine eo gauisa est, nam prægnans iterum facta fortuna Neronis ira calce percussa diem obijt. Cuius aboleri corpus igne Rhomano more Nero prohibuit, sed exterorum regum ritu magnifica exe-quiarum pompa deferri publice iussit. Illudq; refertum odoribus Iu-liorum tumulo condi. Ipse autem pro rostris, illam & potis-sime formositatis pręcipuæ longa, & accurata oratione laudauit, nonnulla fortunæ seu naturæ dona, qui-bus insignita erat, loco clarissimarum vir-tutum illi attribuens. Erat mihi in-ter has Poppeæ fortunas, quid dicerem in mollitiem nimi-am, in blanditias, petu-lantiam, lachrymas-que mulierum certissimū, ac per-niciosissi-mum virus cre-dentium animorum. Sed ne uiderer Satyram potius quam historiam recitasse obmittendum censui.

M ij DE TRI-

DE TRIARIA LVCII VItellij coniuge. Caput xciiij.

Hanc amor insanus rapit ad fera bella, mariti
Quo imperium amplificet, fiat ut ille potens.

TRiaria mulier nullo alio sui generis splendore cognita, nisi quia Lucij Vitellij fratris Aulij Vitellij Rhomanorum principis coniunx fuit. Cuius seu ob feruidum in uirum amorem, seu ob insitam animo natura atrocitatem tanta fuit ferocitas, quod ob aduersum mulieribus morem, memoratu digna uisa est. Discordantibus ergo ob principatum Vitellio Cæsare atque Vespasiano, actum est, ut cum intrassent Tarracinam Volscorum oppidum, nonnulli gladiatores sub Iuliano quodã duce, & remiges etiam plures Rhomanæ classis, haud longe ab Actio monte sub Pollinario prefecto morantes, & ab his cum Vespasiano sentientibus per negligentiam, & socordiã teneret serui cuiusdam inditio factum est, ut nocte illa Lutius intraret. Qui dum in semisopitos arma arripientes hostes atq; oppidanos infestos ferro sæuiret, Triaria, quæ per noctem secuta virum ciuitatem intrauerat, in coniugis uictoriam auida accincta gladio, & Vitellianis immixta militibus, nunc huc, nunc illuc, per medias noctis tenebras, inter clamores dissonos & discurrentia tela sanguinem, morientiumq; singultus extremos, nil militaris seueritatis obmittendo, irruebat in miseros, adeo ut crudeliter nimium atq; superbe in hostes egisse relatum sit. Ingentes insano pectore coniugalis amoris sunt vires, nulla illis dummodo viri gloria extollatur formido, nulla pietatis memoria, nulla fœminei sexus erubescentia, nulla temporum qualitatis existimatio, potuit Triaria in decus viri omnia facili labore subire, quæ nedum fœminas (quibus ut plurimum mos est, etiam diurno muris murmure in sinu coniugis exanimari) sed robustos iuuenes atque bellicosos horrore quandoq; corripere. Etsi tanto cum impetu se tulit hæc in arma nocturna mulier, quis credet eam, hoc tantum facinore fuisse conspicuam, cum non consueuerint (seu exitiosæ sint seu celebres) solæ mortalium pectora subire virtutes. Ego quidem reor quanquam à memoria sublata sint, longe alijs meritis spectabilem fuisse Triariam.

DE PRO-

DE PROBA ADELPHI CONiuge. Caput xcvij.

Illa fuit Vates, studijs quoq; dedita Vatum,
Carmina Vergilij legit, uertit & illa probè.
Carmine composuit docto, clarissima Diuum
Facta, poëtarum mystica sacra canens.

PRoba facto & nomine literarum notitia memoratu dignissima fuit fœmina, & ne eius ignoretur nobilitas & origo, placet nonnullis, & ex coniectura credo iam fuisse Rhomanam, alij uero clarissimi viri asserunt eam ex oppido Othry oriundam, & cuiusdam Adelphi cõiugem & Christianam religione. Hæc ergo, sub quocunq; præceptore factum sit, liberalibus artibus valuisse liquide potest præcipi. Verum inter alia eiusdem studia adeo peruigili cura Virgiliani carminis docta atq; familiaris effecta est, vt ferè omni opere à se confecto teste in conspectu, & memoria semper habuisse videatur. Quæ dum forsan aliquãdo perspicatiori animaduertentia legerit existimationem incidit, ex illis omnem testamenti veteris historiam, & noui seriem placido atq; expedito, & succi pleno versu posse describi. Non equidem admiratione caret, tam sublimẽ considerationem muliebre subintrasse cerebrum, sed longe mirabile fuit executioni mandasse. Operam ergo pio conceptui præstans nunc huc, nunc illuc per Bucolicum, Georgicumq; atque Æneidos saltim discurrendo carmen, nunc hac ex parte versus integros, nunc ex illa metrorum particulas carpens, miro artificio in suum redegit propositum, adeo apte integros collocans, & fragmenta connectens seruata lege pedũm & carminis dignitate, vt nemo nisi expertissimus, compages posset aduertere, & his ab orbis exordio principium faciens quicquid historiæ in veteribus atque nouis legitur literis, & usq; ad immissionem sacri spiritus, tam compte composuit, vt huius compositi ignarus homo Prophetam pariter & Euangelistam facile credat fuisse Virgilium. Ex quibus non minus commendabile sumitur, huic scilicet mulieri sacrorũ voluminũ integram, seu satis plenã fuisse notitiam, quod q; raris etiã hominibus nostro contingat æuo dolentes nouimus. Voluit insuper egregia fœmina labore suo cõpositum opus uocari Centonã, qd' ipsi persæpe uidimus, & quanto magis illud memoratu perpetuo dignum putamus, tanto minus credimus tã celebre mulieris huius ingenium, huic tm̃ acquieuisse labori, quinimò reor si in annos ampliores uitæ protracta esset, eam alia insuper condidisse laudabilia, quæ Librariorũ desidia, nostro tñ incomodo, ad nos usq; deuenisse nequiuere. Quæ inter (ut nonnul-

 lis places

lis placet) fuit Homeri Centona eadem arte, & ex eadem materia, qua ex Virgilio sumpserat, ex Homero sumptis carminibus edita. Ex quo si sic est, sumitur eius cum ampliori laude, eam doctissime Græcas nouisse literas ut Latinas. Sed quæso nunquid optabilius audisse fœminam, Maronis & Homeri scandentem carmina, & apta suo operi se ponentem seu lecta artificioso contextu nectentem, eruditissimi perspectent viri, quibus cum sit sacrarum literarum insignis professio arduum tamen est & difficile, ex amplissimo sacri voluminis gremio, nunc hinc, nunc inde partes elicere, & ad seriem vitæ Christi in unum, passis verbis prosaq; cogere, uti hæc fecit ex Gentilico carmine. Erat huic satis, si fœmineos consideremus mores, colus & acus atq; textura, si morte plurium torpere voluisset, sed quoniam sedula studijs sacris, ab ingenio segniciei rubiginem abstersit omnem, in lumen euasit æternum quod vtinam bono intuerētur animo voluptatibus obsequentes, & otio, quibus prægrande est cubiculo insidere fabellis friuolis, irrecuperabile tempus terere, & à summo diei mane in noctem usq; totam, persæpe sermones, aut nocuos ac inanes blatterando deducere, seu sibi tantum lasciuiendo vacare. Aduerterent Ædepol quantum differentiæ sit, inter famam laudandis operibus quærere, & nomen vna cum cadauere sepelire, & tanquam non vixerint è vita discedere.

DE FAV-

DE FAVSTINA AVGVSTA Catonis coniuge. Caput xcvi.

Sæuit amore quidem infausto, Faustina petulca,
Quæ Veneris furto dedita planè, fuit.
Hæc vno non contenta est, sed plurimo amantum,
Agmine gaudet amans, sanguine constat amor.

FAustina Augusta quę & inter diuos postea relata est, gloriæ plurimū uiuens moriensq́ꝫ uiri sui magis benignitate, quā opere suo secuta est. Fuit quippe Antonini Pij Cæsaris Augusti ex Faustina cōiuge filia, & Marco Antonio iam ab Antonino Pio adoptato in filium connubio iuncta, eoqꝫ patre mortuo, imperauit una cum uiro, & consultu senatus Augusta est appellata, non parua eo tempore gloria mulieri. Nam etsi pręcedentibus ab Augustis uiris, Augustarum cognomen esset, nulli ante hanc senatusconsulto fuisse concessum inuenio. Fuit præterea tam exquisiti decoris, vt aliquid diuinum mortalitati eius crederetur admixtum, ꝙ ne consumeret̄ senio aut morte actū est, ut iuuencula & ætate prouectior, aureis argenteisq́ꝫ ac æreis nummis, eius effigies sculperetur, & in hodiernū usqꝫ perdurat. In quibus etsi oris habitus, oculorum motus, color uiuidus & hilaritas faciei desint, illud tamen liniamenta testantur permaximum. Sanè quantum totius orbis fama celebratum est, tantū turpi impudicitiæ nota pollutū. Creditum quidē est, hanc non uno præter uirū cōtenta fuisse Amasio, quinimò in amplexus pluriū deuenisse, ex quibus quorundā nomina detexit infamia. Nam Vectilus quidā inter eius adulteros habitus est, sic & Orphicus, & post hunc Moderacius, sed qui cæteros anteiuit, Terculus nominatus est, quem etiam aiunt ab Antonino secū in cœna cōpertum. Et his superadditus Marcus Verus, nō obstante quod eius esset Lucilla filia gener. Et quod omniū horum turpius est, aiunt eam gladiatorē quendam adeo amasse, ut ob desideriū eius incurreret ægritudinē ferè letalē, & sanitatis desiderio Antonino concupiscentiā detexisse suā, eūqꝫ medici consilio usum, ad feruorem sedandū languentis, gladiatorē occidi fecisse, et adhuc eius tepenti sanguine omne deliniisse corpus ægrotę, & sic ab impetuoso amoris æstu, ac etiam morbo liberasse coniugē. Quod quidē remedium fictū credidere prudētes. Cum tēporis in processu Cōmodus Antoninus ea tēpestate conceptus, non deliniti sanguinis, sed habiti potius cū gladiatore concubitus, scelestis operibus suis, quibus potius gladiatoris, quam Antonini credebatur filius testimoniū ueritati præstaret. Quibus in Faustinæ ignominiam personantibus Antonino ab amicis suasum est, ut illam occideret, seu saltem quod

huma-

humanius uidebatur abdicaret. Verum Antoninus cum eſſet mitis ingenij homo, eſto ægreferret adulteria coniugis, recuſauit in conſilium ire, & ne in maius euaderet dedecus, perpeti maluit. Nec aliud ſuadentibus reſpondit amicis, quam oportere repudiatis dotes reſtitui, uolens & ob id intelligi, quod ob Fauſtinam teneret imperium. Sed iſta ſinenda ſunt (ſæpiſſime, meminimus etiam facto labefactari honeſtiores conſueuiſſe) & è nebulis redibimus in lucem, Nam Antonino apud orientales reges magnifice rempublicam curante, actum eſt ut Fauſtina in uico Alaleæ in radicibus Tauri montis, ægritudine diem clauderet extremum. Quam Antonini precibus, ſenatus inter diuos extulit, & de cætero diua Fauſtina appellata eſt. Quod apud Rhomanos mulieri nulli ante contigerat. Et cum eam iam caſtrorum matrem appellaſſet, Antoninus ei templum eo in loco, in quo diſceſſerat conſtrui fecit inſigne, & eidem ſtatuas iuſſit apponi conſpicuas ſui nominis, conſtituitq́ puellas, ſacerdotes templo, quas Fauſtinianas vocari præcepit, & ſic loco Deæ per tempus ibidem celebris habita eſt Fauſtina, vt quod ſubtraxiſſe claritatis videbatur luxuria, deitas reſarciret.

DE SEMIAMIRA MESSANA muliere.

Caput xcvij.

Illa ſubinde ſalax varijs illecta venenis,
Gaudet habere procos fœmina ſpurca nouos,
Ardet & inueſtis ſtimulis agitatur amoris,
Comparat indigno, vimq́ dolumq́, toro.

SEmiamira Græca fuit mulier ex ciuitate Meſſana, quo tamen tempore genita non conſtat, cum clarum ſit variam quando Meſſanam Iuliæ Salinę coniugis, olim Seueri Pertinacis imperatoris fœminam, eius fuiſſe matrē. Inho-

Inhonesta quidem aliquamdiu fuit mulier, sed post hæc filij claritatem & senatus etiam principatu conspicua facta est. Hæc ut Prisca sinamus probra, mater fuit Varij Heliogabali primo Phœbi sacerdotis, inde Rhomani principis. Quem ex Antonino Caratalla imperatore, cuius aliquando contubernio usa fuerat affirmabat genitum, tantaq; uulgati corporis laborabat infamia, ut Heliogabalus adhuc puer, non ab auia varia (ut putauerunt aliqui) sed eo à cōdiscipulis uocaretur Varius, quia ex uariorum hominum cōcubitu quibus continue miscebatur mater, uideretur genitus. Cæterum cum is esset spectabilis forma, & ob sacerdotium plurimum cognitus & creditus, assertione matris, à militibus prouincialibus Caratallæ filius, factum est auię pecunia, quam plurimam penes Iuliam imperatricem sagacitate cumulauerat sua, ut conquęrentibus de Matrino imperatore militibus eorum, meum siquid in Matrinū attentauerat, deueniret consensus, nec difficulter, erat enim eo tempore tantæ autoritatis apud Rhomanos exercitus Antoninorū nomen atq; familia, ut nil magis, quam ut ex eis aliquis principatum teneret, optaretur à cunctis, nec diu cum in Matrinum coniurassent. Heliogabalus haud longe Antiochiam imperator solutus est, & Antoninus nominatus, Quod cum in Antiochia audisset Matrinus, miratus uariæ mulieris audaciam, cuius hoc (ut erat) ratus est, dum Heliogabalum obsideri curat, Iulianus in hoc missus occiditur, & eius milites in fidem Heliogabali transitum fecere, et cum ipse Matrinus aduersus Heliogabalum descendisset in pugnam uictus atq; fugatus est. Et post paululum in Bithyniæ uico, una cum Diadumeno filio occisus, ex quo Heliogabalus quasi Caratallæ patris mortem vltus, opere uarię auiæ sųę indubitanter principatum adeptus est. Et Rhomam veniens à cuncto senatu maximo cū desiderio expectatus atq; susceptus est. Ex qua repentina prouectione Semiamira, usq; ad astra ferè delata est, & Augusta nuncupata, & fornicibus Rhomani principis aulæ dominium consecuta refulsit, hac vna fulgidior causa.

Nam dato scelestus esset Heliogabalus, cognoscens se auiæ facto principem, & per consequens filiæ genitricis suæ, in tantum illam quasi loco retributionis honoribus prætulit, vt nil ferè nisi ea disponente perageret, & cum eadem die qua Rhomam intrauerat senatum habuisset, iussit matrem rogari, ut in senatū accederet, quę à consule rogata concessit, eiq; ibidem, ubi reliquis senatoribus apparato subsellio more cæterorum de agendis sententiam dixit, quod mulieri alteri contigisse memoria nulla est. O ignominiosum spectaculum, inter grauissimos viros uidisse à lupanari pridie euulsam meretriculam sedisse, & ubi de regibus agebatur inter lenones adsuetam, dicentem audisse sententiam. O libertas vetus, O prisca sanctitas, O maiorum indignatio veneranda, qua minus graues homines, ex tam celebri collegio pellebantur, nota deturpati

censoria, ubi es? spectas ne infamem mulierculam, Curionum, Fabriciorum, Scipionum, Catonumq́ loca fœdantem, sed quid mulierem senatoriam quæror, cum hostes reipublicæ & celebres iuuenes, exteri atq; incogniti verbis, & orbis teneant principatum? Quid tandem? nunquam postea senatum Heliogabalus intrauit, quin una secum intraret sanctissima mater. Cui hoc insuper fecit cæca felicitas, ut tam grandis existimationis haberetur vulgo, & Sibyllis etiam præponeretur omnibus. Præterea cum fastidienda sint dicta, quod sequitur ridiculum est. Tantæ enim fuit hæc mulier apud ignauum filium dignationis, ut in Quirinali colle, facto ab eo loco, quem senaculum appellauit, ubi iam dudum solemnibus diebus matronarum, quandoq; consueuerat esse conuentus, ordinatis mulieribus, quę eum conuenirent statutis in locum, iussit eas vt senatorio more de moribus, & agendis circa statum matronarum consulta facerent, legesq; instituerent, & huic tam discreto senatui Semiamiram principissam constituit, à qua senatus consulta plurima, quanquã ridenda manasse compertum est. Sancitum quippe eo in collegio fuit, quo vestitu uti, & quibus ornamentis fas esset unicuiq;. Cui etiam cedere, cui assurgere, cuius etiam ad osculum uenire unaquæq; matrona deberet. Insuper & quæ bilento, & quæ equo aut carpento mulari, seu sella vehi deberet & huiusmodi. Quæ & si potius uti erant viderentur inania, & ludo quam veritati similia, & potissime muliebri vanitate pensata, & inepto vulgi iudicio, eo tamen tempore permaxima visa sunt. Sanè cum nil uiolentum durabile, hæc facile dissoluta perire in auras. Nam cum potius meretritio, quam matronali ritu in principis aula sese haberet Semiamira, uacante etiam filio obscenis atq; profusis libidinibus eo usq; itum est, ut Heliogabalus pro meritis occideretur à suis, & cum eo Semiamira vmbratili splendore relicto cæsa, in cloaca iaceretur, & inde una cum cadauere filij traheretur in Tyberim, ne cursus iuuentutis eius differre videretur ab exitu. Quod & nos uiuentes misere minime cogitamus.

DE ZENOBIA PALMIRENORUM regina. Caput xcviij.

Fuit

Iuit in aduersos montes, per saxa, per hymbres,
Frigora non curans, nil muliebre morans.
Dura fuit virgo, tandem fit nomine prolis
Mater, at in reliquis Martia plane manet.

ZEnobia Palmirenorum fuit regina, tam eximiæ virtutis fœmina, priscis testantibus literis, ut cæteris gentilibus inclyta præponenda sit. Hæc ante alia genere fuit insignis. Nam à Ptolemeis Ægyptiorum regibus claram uolunt originem habuisse parentibus, tamen memoriæ non concessis. Dicunt autem hanc à pueritia sua spretis omnino muliebribus officijs, cũ iam corpusculum eduxisset in robur, syluas & nemora incoluisse plurimũ, & accinctam pharetra, ceruis caprisq́ꝫ cursu atqꝫ sagittis fuisse infestam. Inde cum in acriores deuenisset vires, ursos amplecti ausam, pardos, leonesq́ꝫ insequi, obuios expectare, capere & occidere, ac in prædam trahere. Et inpauida, nunc hos, nunc illos saltus, & prærupta montium discurrere, lustra perscrutari ferarum, & sub diuo somnos etiam per noctem capere. Hymbres, æstus, & frigora mira tolerantia superare, amores hominum & contubernia spernere adsuetam, & virginitatem sum̃opere colere, Quibus fugata muliebri mollicie, adeo, & eam in uirile robur duratam aiunt, ut coætaneos iuuenes luctis, palestricisq́ꝫ ludis omnibus uiribus superaret. Tandem instante ætate nubili amicorum consilio, Odenato iuueni æquis studijs durato, & longe Palmirenorum nobiliori principi nuptam uolunt. Erat hæc speciosa corpore, esto paululum fusca colore, sic enim urente sole regionis illius omnes sunt incolæ, Præterea nigris oculis, niueisq́ꝫ dentibus decora. Quæ cum cerneret Odenatum, capto à Sapore rege Persarum Valeriano Augusto turpiqꝫ seruicio damnato, & Galieno filio effœminate torpescente, ad orientale occupandum imperium intentum, non immemor duriciei pristinæ, armis formositatẽ tegere, & sub uiro militare disposuit. Et cum eo sumpto regio nomine & ornatu, atqꝫ cum Herode priuigno, collectis copijs in Saporem, late iam Mesopotamiam occupantem animose progressa est, & nullis parcens laboribus, nunc ducis, nunc militis officia peragens, non solum acerrimum uirum, & bellorum expertum uirtute armorum superauit, sed creditum eius opere Mesopotamiam in iurisdictionem uenisse, & Saporem, castris eius, cum concubinis, & ingenti præda captis, usqꝫ Ctesiphontem pulsum atqꝫ secutum. Nec multo post quietum Matriani filium, qui patrio sub nomine orientis imperium intrauerat, ut opprimeretur curauit uigilanti studio. Et cum iam omnem orientem ad Rhomanos spectantem, uno cum uiro pacatum obtinet, &

ecce à Mæonio consobrino suo condemnatus, una cum Herode filio occisus est. Et (ut quidam asserunt) ob inuidiam existimantibus alijs Zenobiam in mortem Herodis præstitisse consensum, eo quod sæpius eius damnasset molliciẽ, & ut filijs Heremiano & Timolao, quos ex Odenato susceperat suc cessio cederet regni. Et imperante Mæonio aliquandiu quieuit. Verum Mæonio breui à militibus suis trucidato, quasi possessione vacua derelicta, generosi animi mulier, in præsideratum imperium intrauit continuo, & filijs eius adhuc paruulis, imperiali sagulo honoris perfusa, & regijs ornata apparuit, filiorumq; nomine longe magis quam sexui conueniret, gubernauit imperium, nec segniter, nam in eam, nec Galienus, nec post illum Claudius imperator aliquid attentare ausi sunt. Similiter nec orientales Ægyptij, neque Arabes, aut Sarraceni uel Armeni populi, quinimò eius timentes potentiam suos posse seruare terminos fuere contenti. Fuit enim illi tanta bellorum industria, & adeo acris militiæ disciplina, vt æque illam magnipenderent sui exercitus & timerent. Apud quos nunquam contionata est, nisi Galeata, & in expeditionibus uehiculo carpentario perrarissime vtebatur, equo sępius incedebat, & nonnunquam tribus, vel quatuor milibus passuum, cum militibus pedes signa præcedebat. Nec fastidiuit cum ducibus suis quandoq; bibisse, cum esset aliàs sobria. Sic cum Persis & Armenis principibus, ut illos vrbanitate & facetia superaret. Fuit tamen adeo pudicitiæ seuera seruatrix, ut nedum ab alijs abstineret animo, sed etiam Odenato viro suo dum uiueret, se nunquam exhibere, præter ad filios procreandos voluisse legimus. Hæc in hac semper habita diligentia, ut post concubitum unum tam diu abstineret ab altero, donec aduerteret utrũ concepisset ex illo, quod si contigerat, nunquam præter post partus purgationes, à uiro tangi patiebatur vlterius. Si autem non concepisse perceperat se ultro poscenti uiro consentiebat. O laudabile iudicium mulieris, satis quidem apparet arbitratam, nil ob aliud à natura mortalibus immissam libidinem, quam ut prolis innouatione continua conseruetur posteritas, & reliquum tanquam superuacaneum vitiosum, perrarissimas quidem huiuscemodi moris comperies mulieres. Hæc tamen ne à mente differrent ministeria ad opportuna domestica, præter Eunuchos ætate atq; moribus graues, neminem unquam uel perraro admitti voluit. Vixit præterea ritu regio, & magnifico sumptu, usa ea, qua reges utuntur pompa. Persicoq; more voluit adorari, & adinstar Rhomanorum imperatorum conuiuia celebrauit. In eis vasis aureis gẽmatisq;, quibus olim usam Cleopatram acceperat, & quaquam seruatrix thesaurorum permaxima esset, nemo ubi opportunũ visum est, ea magnificentior aut profusior vsus est, etsi plurimũ uenerationibus armisq; uacasset, non obstitere hæc, quin literas Ægyptias no-

sceret,

ſceret, & ſub Longino Philoſopho præceptore Græcas etiam diſceret. Quarum ſuffragio, hiſtorias omnes Latinas, Græcas, & Barbaras, ſumo cū ſtudio vidit, & memoriæ cōmendauit. Nec homo tantū, quinimò creditum eſt illas etiam epitomatis breuitate traxiſſe, & præter ſuū Idioma nouit Ægyptiū, eosq; cum Syriacum ſciret, viſa eſt, iuſſitq; filios Latine loqui. Quid multa? tanti profecto fuit hæc, vt Galieno atq; Aureolo & Claudio Auguſto ſublatis, & Aureliano integrę virtutis homini, in principatū ſuffecto, ad ignominiā Rhomani nominis expiandam, & ad ingentē gloriam conſequendā in ſe traxerit. Nam Marcomannico bello peracto, & Rhomæ rebus cōpoſitis Aurelianus, cū omni cura Zenobiam expeditionē aſſumpſit, & multis egregie aduerſus Barbaras nationes eundo confectis, cū legionibus tandem haud longe Emeſſam ciuitatem deuenit, quam penes Zenobia in nullo perterrita, vna cū Zeba quodam, quem belli ſuſceperat ſocium cū exercitu ſuo conſiderat, ibi inter Aurelianum & Zenobiam de ſuma rerum acriter, & diu pugnatū eſt. Ad vltimum cum Rhomana virtus uideretur ſuperior Zenobia, cū ſuis in fugam uerſa Palmira ſeſe recepit. In qua eueſtigio à victore obſeſſa eſt. Quam cum aliquandiu, nullas volens conditiones deditionis audire mira ſolertia defendiſſet in penuriam opportunarū rerum deducta eſt. Hinc nequeuntibus Palmirenis Aurelianorū obſiſtere viribus, interceptis etiam ab eodem Perſis Armenisq; & Sarracenis, auxilio Zenobię uenientibus, armorum, ui ciuitas à Rhomanis capta eſt. Ex qua cum Zenobia uecta Dromedarijs cum filijs in Perſas aufugeret ab Aurelianis militibus ſecuta, & capta, cum filijs Aurelianæ præſentata eſt. Ex quo non aliter quam ſi permaximū ſuperaſſet ducem, & accerrimum reipublicæ hoſtem Aurelianus gloriatus eſt, eamq; triumpho ſeruauit, & adduxit cum filijs Rhomā, inde ab Aureliano celebratus triumphus ſpectacula Zenobiæ admirandus, in quo inter alia egregia, & memoratu digniſſima currū duxit, quē ſibi ex auro gēmisq; præcioſiſſimum Zenobia fabricari fecerat, ſperans ſe Rhomā uenturam, non quidem captiuam, ſed rerū dominam atq; triumphaturā, & Rhomanum poſſeſſuram imperiū, quem & ipſa cum filijs præceſſit. Verum ipſa cathenis aureis collo manibus pedibusq; iniectis, corona & ueſtimentis regijs, ac margaritis et lapidibus prę cioſis onuſta, adeo, ut cum roboris eſſet in exhauſti pondere feſſa perſæpe ſubſiſteret. Sanè conſumato triumpho theſauro & uirtute ſpectabili, aiunt illā priuato in habitu inter Rhomanis matronas cum filijs ſenuiſſe, conceſſa ſibi à ſenatu poſeſſione apud Tyburtā, quæ Zenobiana diu poſtmodum ab ea denominata eſt, haud longe à diui Adriani palatio, quod eo in loco eſt cui conche ab incolis dicebatur.

DE IOANNE ANGLICA PApa. Caput xcix.

Artibus, illa dolis, literis instructaq́ꝫ sacris,
Ingenio miro facta repente Papa est.
Nomine fit Papa, sed re fœmina turpis abortit,
Ac manet id quod erat, fœmina plena dolo.



IOannes esto Vir nomine videbatur, sexu tamen fœmina fuit. Cuius inaudita temeritas, vt orbi toto notissima fieret, & in posterum nosceretur effecit. Huius etsi patriam Maguntinam quidam fuisse dicant, quod proprium fuerit nomen, vix cognitum est. Esto sint, qui dicant fuisse Gilibertam, hoc constat (assertione quorundam) eam virginem à Scolastico iuuene dilectam, quem adeo dilexisse ferunt, ut posita verecundia virginali atqꝫ pauore fœmineo, clàm è domo patris effugeret, & amasium adolescentis in habitu & mutato sequeretur nomine, apud quem in Anglia studentem clericus existimatus ab omnibus, & Veneri, & literarum militauit studijs. Inde iuuene morte subtracto, cum se cognosceret ingenio valere, & dulcedine traheretur scientiæ, retento habitu, nec adhærere voluit alteri, nec se fœminam profiteri, quinimò studijs vigilanter insistens, adeo in liberalibus & sacris literis profecit, vt præ cęteris excellens haberetur. Et sic scientia mirabili prædita, iam ætate prouecta, ex Anglia se Rhomam contulit. Et ibidem aliquibus annis in

triuio

triuio legens, insignes habuit auditores. Et cum præter scientiam singulari honestate, ac sanctitate polleret homo ab omnibus creditus. Et ideo notus à multis, soluente Leone Quinto, Pontifice sumo, carnis debitum, à venerandissimis patribus cōmuni consensu, præmortuo Papatu suffectus est. Nominatusq; Ioannes, cui si vir fuisset, ut octauus esset in numero contigisset. Quæ tamen non verita ascendere piscatoris Cathedram, & sacra mysteria omnia nulli mulierum à Cristiana religione concessam tractare, agere & alijs exhibere Apostolatus culmen aliquibus annis obtinuit, Christiq; vicariatum fœmina gessit in terris. Sanè ex alto Deus plebi suæ misertus, tam insignem locum teneri tanto præsideri populo, tantoq; infausto errore decipi à fœmina passus non est, et illam indebita audentem nec sinentem, suis in manibus liquit, quam obrem, suadente diabulo, qui eam in tam scelestam deduxerat, atq; detinebat audaciam, ut quæ priuata præcipuam honestatem seruauerat, in tam sublimi euecta pontificatu in ardorem deuenit libidinis. Nec ei quæ sexum diu fingere nouerat, artes adexplendam defuere lasciuiam. Nam adiumento, quo clàm præter successorem conscenderet, et exurentem pruriginem defricaret, actum est, ut propterea conciperet. O scelus indignum, O inuicta paciencia Dei. Quid tandem, eiq; fascinare diu oculos potuerat hominum, ad incestuosum partum occultandum defecit ingenium. Nam cum is præter spem propinquior esset termino, dum ex Ianiculi amburbiale sacrum celebrans Lateranam peteret inter Coloseum, & Clementis pontificis ædes obstetrice non vocata, enixa publicè peperit. Qua fraude tamdiu præter amasium cæteros decepisset homines, & hinc à patribus in tenebras exteriores abiecta, cum fletu misella abijt, ad cuius detestandā spurcitiem, & nominis cōtinuandam memoriam, in hodiernum usq; summi Pontifices rogationum, cū Clero & populo sacrum agentes, cum locum partus medio eius in itinere positum abominentur eo omisso declinant per diuerticula, vicosq;, & sic loco detestabili postergato, re intrantes iter perficiunt quod cœpere.

DE YRENE CONSTANTINOpolitanorum Imperatrice. Caput c.

Illa per insidias regnum spectabile nato
Præripit, ac rerum sola potita, regit,
Excidit hæc eadem imperio, succedit & illi
Filius, inq; uicem stantq; caduntq; simul.

YRenes Atheniensis nobilissima mulier fuit, & insignis decoris conspicua, quam cũ à patria Constantinopolim Constantinus imperator, vocasset eam Leoni, seu Leocazano filio dedit in coniugem, & post dicti Constantini mortem, Rhomanorũ imperatrix effecta, ex viro filium peperit Constantinũ nomine. Demum rebus humanis Leone subtracto, cũ Constantino paruulo admodum adulescentulo per decẽnium egregie imperio præsedit, sed eo iã grandiusculo asserenteq; sibi dominum soli deberi, eam octo annis (vt placet aliquibus) à societate remouit. Tandem ingentis animi mulier & imperandi auida, cum in discordiam deuenisset cũ filio, fœmineo quodam astu iuuenem viribus fidentem suis cœpit, & depositum ab imperio seruari iussit in carcere, solumq; à quo vniuersus orbis olim iura susceperat, sola conscendit & præ ceteris mortalibus clara imperatrix annis quinq; ingenti cum gloria imperauit. Porrò amicorum Constantini opere actum est, vt Armeniorũ auxilijs è culmine deponeretur Yrenes, & Constantinus solutus, à uinculis patrio reassumeretur in throno, qui in matrem mitior, quã eam in se comperisset, & plurimum in amicorũ viribus spei habens, non illam carceri tradidit, sed in palatio Eleuterij, quod ipsamet construi fecerat, cum omni rerum copia fuit se posuisse contentus, amicis eius omnibus inde relegatis exilio. Attamen cum is infeliciter aduersus Bulgaros bellum iniisset, tentassentq; ob id primates, eum ab imperio mouere, eiusq; loco Nicephorum quendam primum substituere, ex asperatus ira in turpem prorupit sæuitiam. Nam Nicephoro & Christophoro fratribus linguas euulsit. Hinc Alexium Armeniæ patritium orbauit luminibus, & Mariam coniugem suam, monasticum habitũ sumere coëgit, super in ducta Theodote cubicularia, quã euestigio coronanit. Quibus enormitatibus oculata mulier Yrenes, quæ esto coacta fortunam deposuisset imperij, egregiũ tamen seruauerat animũ, spe sumpta reassumendi principatus, si aurum largiretur optimatibus profuse, reseruatis thesauris, quos dũ imperaret, eo in palatio, in quo seposita habitabat, absconderat, clam animo principium imperij sibi fecit accommodos, cunque eos amplis muneribus in

suam

ſuam deduxiſſet ſententiã, egit, ut qui illam diſpoſuerant, Conſtantinum filiũ caperent, luminibusq́ꝫ priuarent, & ſic animoſa mulier ſublatum, olim ſibi reaſſumpſit imperiũ. Conſtantinus autem morbo correptus interijt. Tandẽ, cum quinqꝫ iterum annis imperaſſet, à Nicephoro rebellante, in palatio Eleuterij obſeſſa eſt. Qui cũ Acariſio patriarcha Conſtantinopolitano diadema ſuſcepiſſet imperij, fauentibus Leone & Triphilo patricijs, atque Sycopeo ſatellario nuper ab Yrene ditatis, actum eſt, ut ad Yrenem cũ humilitate intraret, blanditijsq́ꝫ ageret, ea tamen aduertente, nec aliud pręter id palatiũ, in quo erat ex imperio poſtulante, vt obtenta petitorũ promiſſione aperiret omnes theſauros, quibus obtentis nepharius homo, fide fraudata, illam Lesbos relegauit in exiliũ, in qua iam ſenex vitam claram terminauit mulier. Alij tamen de fine huius aliter ſentire videntur. Dicunt quidam matre & filio diſcordantibus, & uiciſſim ſeſe imperio priuantibus, Rhomanos ab eis deſciuiſſe, & in Carolum Magnum Francorũ tunc regem, ſuum imperiũ transtuliſſe, eũqꝫ tentaſſe, ut in unum quod diuidi uidebatur imperium redigeret, Yrenes nuptijs, eiqꝫ Yrenem adhæſiſſe. Quod tamen cum aduertiſſet Eutitius patritius, cõfeſtim ſublimauit Nicephorum, & obſidione Yrenem ad intrandum monaſterium, dimiſſo imperio coẽgiſſe, & in eodem demũ eam conſenuiſſe.

DE ENGELDRVDA FLOrentina uirgine. Caput ci.

Aude aliquid magnum, ſi uis præclarus haberi,
Hæc quod erat conſtans, facta repente Dea eſt,
Pectore uirgineo reuocans temerata parentis
Verba, quibus Cæſar munere motus adeſt.

ENgeldruda ex Rauennatum, olim clariſſima ciuitatis noſtræ familia, duxit originem. Quam ego (nec immerito) ob inſignem eius, coram principe Rhomanorũ ad defendendã animi ſui ſynceritatẽ, audatiam, inter claras ponendã cenſui. Hæc enĩ cum extemplo, olim Marti, poſtea uero Deo ſub Iohannis Baptiſtæ uocabulo dicato, cum pluribus ex Florentinis matronis diem celebrem agerẽt, contigit, ut Otho quartus Rhomanorũ imperator, qui tunc forte Florentiam uenerat, ad exhilarandum feſtũ, & ſua præſentia augendum, maximo cum procerum comitatu templum intraret, & cum è ſublimiori loci ſede, ornatum templi & ciuium curſus, & circumſedentes matronas inſpiceret, ut in Engeldrudam oculos forte figeret, factum

factum est. Cuius aliquandiu formositatem, & habitum nulla varietate distinctum, honestatemq; eius, & grauitates puellares admiratus laudasset, in Illitionem quẽdam unũ ex ciuibus, ætate atq; nobilitate venerabilem uirum, & militia eo tunc forsan insignem, ei assistentem, uerba conuertit inquiens. Quæ nam quæso est virgo, hæc è contra sedens, nostro in iudicio honestate, & oris decore cæteras antecedens? cui Ilitio subridens, faceta quadam vrbanitate respondit. Serenissime princeps, qualiscunq; sit, talis est, vt dum uelis te deosculetur si iussero. Quæ verba cum percepisset virgo, confestim indignata est, ægre ferens, patrem tam facile de constantia sua, & virginei pudoris custodia opinionem ostendisse, nec diu tulisse noxam potuit, quinimò nil adhuc respondente principe surgens purpureo respersa colore, eleuatis paululum in patrem oculis, et inde deiectis in terram, uoce infracta, humili tamen dixit. Siste quæso, mi pater, ne dixeris, nam (si violentia absit) nemo ecastor, præter quem tu mihi legittimo sanctoq; coniugio uincturus es, quod offers tam profuse, habiturus est. O Deus bone, nusquam, quod ex animo bene eleganterq; dictum est, ab ingentis animi uiro cecidisse permissum est. Stetit Cæsar aliquantulum mirabundus, demum Germanica non obsistente barbariæ, ea non cognita, collegit ex uerbis, animo virginei pectoris sanctum castũque propositum, & cum longa dicacitate, uirginis indignationem laudasset & verba, Guidonem quendam nobilem iuuenem accersiri iussit, & ne diu careret virgo, cui posset honestum si uellet exhibere osculũ, presente atq; gratias agente patre, Engeldrudam uiro maturam, à se dotatam egregie, antequam moueretur Guidoni dedit in coniugem, arbitratus quod dixerat, iusti boniq; non solum virginis in arcano consistere, sed ab ampliori uirtutis fomite ui meritæ indignationis emissum, & ob id eam Cæsareo munere fuisse dignissimã. Sic igitur quæ uirgo templum intrauerat, ob integritatem pudicæ mentis, in domum patriam maxima genitoris, & suorum alacritate, desponsata redijt, & in processu fecundos enixa partus, ornata, generosa, & in hodiernum usque amplo uirorum numero perseuerante prosapia diem claudens, uiri splendidam domum liquit. Nec dixisse placuit in dedecus Mòdernarum, quarum tanta animi leuitas est, & effrenati sunt mores, ut oculis gestibusq;, irruere in quorumcunq; intuentium uideantur amplexus.

DE CON-

DE CONSTANTIA RHOMAnorum imperatrice & regina Siciliæ. Caput cij.

Labes erat mundi præſens, deterrima peſtis,
Hæc monialis anus, Nonna, triforme pecus.
Poſt quinquaginta quam quincꝫ peregerat annos,
Fert uterum, parit hæc, orbis & urbis, Hylam.

Conſtantia è ſummo orbis cardine terris Rhomanorum imperatrix effulſit. Verum, quoniam iam multis come decus admirationem intuentium minuiſſe uidetur, alia claritatis cauſa noſtro æuo apparere volentibus quærenda eſt, quæ huic non defuit, nam ſi ullo alia non detur merito, unico ſaltem partu undicꝫ conſpicua facta eſt. Fuit hæc Guilielmi optimi quondam Siculorum regis filia. Cuius in ortu cum adeſſet (ut aiunt) plurimi, Ioachin quidam Calaber Abbas, prophetico dotatus ſpiritu, Guilielmo dixit, natam regni Siciliæ deſolationē futuram. Qua præfatione ſtupefactus rex, atcꝫ perterritus, cum præſtitiſſet uaticinio fidem, ſecū cœpit anxia meditatione reuoluere, quo pacto poſſet contingere iſtud à fœmina, nec aliter uidens, quam à coniuge uel à filio, regno cõpatiens ſuo, & uertere ſi poſſet iſtud conſilio ſtatuit, eamcꝫ (ut cõnubij atcꝫ prolis auferretˉ ſpes) virgunculã monaſticis clauſam clauſtris, egit, ut deo perpetuam uirginitatem uoto promitteret, nec aſpernandum ſi profuiſſet conſiliũ. Sed quid aduerſus Deũ, iuſte mortalium ſceleſta facinora expiantē, ſtolidi imbecillesꝗꝫ conatus exponimus? minimo equidem & unico fruſtramur impulſu. Hęc aũt, cum ſanctiſſimo patre fratreꝗꝫ extinctis, nemine ſe p̄ter legittime regni hęrede ſuperſtite, iuuentutē omnem peregiſſet, iamcꝫ facta uideretur anus, ſumpſiſſetꝗꝫ poſt obitum Guilielmi regni diadema, Tancredꝰ Regulus, & poſt eũ Guilielmus filius iuuenculus adhuc, eocꝫ itum eſt, ſeu crebra, ſeu minus digna regum innouatione, vt factionibus procerũ, undicꝫ bellis ſcaturientibus, ferro necꝫ regnum omne in extreminiũ trahi uideretur, quamobrem quibuſdam compatientibus infortunio menti incidit, quod poſtmodum ſubſecutũ eſt, Conſtantiam ſcilicet alicui inſigni principi in coniugem dari, ut eius opere & potentia, peſtiferi ſedarentur tumultus. Nec abſcꝫ dolo atcꝫ labore ingenti obtentum eſt, ſummo conſentiente pontifice, vt in eam Conſtantia deueniret ſententiam, ſcilicet ut nuberet, cũ immobilis ſtaret in profeſſionis propoſito, & annoſa etiam uidereť ætas obſiſtere. Sed cũ etiã renuente res adeo proceſſiſſent, ut cõmode neqrent retrahi, Henrico Rhomanorũ ĩperatori olim Friderici primi filio deſpõſata eſt. Et ſic

rugoſa

rugosa anus, sacris omissis claustris, positisq; sanctimonialium vittis, cultu ornata regio, nuptaq; & imperatrix deuenit in mediū, & quæ deo virginitatem dicauerat perpetuam, thalamum principis intrans nuptialemq; conscendens thorum eam inuita deposuit. Ex quo factum est, non absq; audientium admiratione, vt quinquagesimum & quintum ætatis annum, agens annosa conciperet. Et cum tarda penes omnes conceptionis huiusmodi fides esset, dolusq; crederetur à pluribus, ad auferendam suspitionem prouide actum est, ut propinquante partus tempore, edicto Cæsaris matronis regni Siciliæ vocarentur omnes volentes futuro partui interesse. Quibus conuenientibus etiā ex longinquo, positis in pratis extra ciuitatem Panormi tentorijs, & secundū alios intra urbem, percipientibus cunctis imperatrix decrepita infantem enixa est, Fridericum scilicet, qui postea in monstruosum euasit hominem, & Italiæ totius, ne dum regni Siciliæ pestem, vt non euacuaret Calabri Abbatis vaticinium. Quis ergo non conceptum partumq; Constantiæ arbitrabatur monstruosum? cum præter hunc nullus sit nostris auditus temporibus, quid nostris dico temporibus? non ab aduentu Æneæ ad Italos, unū præter, tam annosæ mulieris compertus, Helisabeth, scilicet coniugis Zachariæ, ex quo dei singulari opere Iohannes natus est, cui inter natos mulierū secundus non erat in posterum surrecturus.

DE CAMIOLA VIDVA.

Caput ciij.

Ingrati officij impatientior illa, tenaxq;
Propositi fuit, at moribus usq; bonis.

